



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs Quartvs. De Incarnatione ipsa, ac de vnione hypostatica, & de
assumptione naturæ humanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

ideoque homines poterant iustificari per Christum, quem ventorum credebant, fide magis, aut minus confusa, vel distincta. Ideo Apocal. 13. *Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi*, quia efficacia mortis Christi profuit hominibus ab origine mundi, ita svt omnes habuerint auxilia, iussicientia ad consequendam salutem, & remissionem peccati. Post Christum tamen homines habent maiora remedia, & auxilia ad salutem.

15. Ad 2. Nego minorem. Debuerunt enim dari duo adventus Christi, alter ad miserendum, & redimendum, alter ad iudicandum, vt docet Chrysostomus homil. 17. in Ioann. cuius verba videri possunt apud S. Thomam hoc art. 6. ad 3.

TRACTATUS IV.

De Incarnatione ipsa, ac de vnione hypostatica, & de assumptione naturæ humanæ.

S. Th. qu. 2. & seqq.



POTSQVAM S. Thomas qu. 1. egit de conuenientia, necessitate, tunc, & motiuo incarnationis, descendit ad agendum de ipsa incarnatione: & quia incarnatio facta est per vnionem, per quam Deus assumpsit naturam humanam, agit de hac vnione, & quæst. 2. agit de ipsa vnione secundum se: quæst. 3. de persona, quæ per vnionem assumpsit naturam humanam cum perfectionibus gratiæ, scientiæ, & potentiæ: quæst. 4. de natura humana assumpta: quæst. 5. de partibus naturæ assumptæ: quæst. 6. de ordine, quo assumpsit partes naturæ humanæ. Et quia Filius Dei assumpsit naturam humanam cum perfectionibus gratiæ, scientiæ, & potentiæ, quæst. 7. & 8. agit de gratia Christi: Quæst. 9. 10. 11. & 12. agit de scientia Christi. Quæst. 13. de potentia animæ Christi. Quæst. 14. de defectibus, quos Christus in natura humana assumpsit ex parte corporis: Quæst. 15. de defectibus, quos assumpsit ex parte animæ: Quæst. 16. & sequentibus vsque ad 26. agit de consequentibus vnionem. Incipimus explicare quæstiones de vnione: & quia circa vnionem multi fuerunt errores, qui à S. Thoma paulatim referuntur, & reijciuntur, libet illos simul proponere.

QVÆSTIO XX.

Proponuntur errores circa incarnationem, & vnionem hypostaticam.

3. **P**lures circa incarnationem, & vnionem Verbi cum humana natura fuerunt hæreses, Tom. III,

refes, & errores. Primus, & præcipuus error est eorum, qui dixerunt vnionem humanitatis, & diuinitatis in Christo, non fuisse factam in vnitate personæ substantialiter, sed accidentaliter, & secundum habitudinem, & affectum dumtaxat, ita vt in Christo sint duæ personæ, altera Dei, altera hominis. Primus, qui hunc errorem docuit, vt existimat Vasquez tom. 1. in 3. par. disput. 5. num. 1. fuit Carpocrates auctor hæreticorum, qui dicti sunt gnostici, hoc est scientes, cui hunc errorem tribuant Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 14. Tertullianus lib. de Præscriptionibus contra hæreticos, cap. 48. Epiphanius contra Hæreses, hæresi 27. & Eusebius lib. 4. Historiæ cap. 7. Carpocrates igitur docuit Christum fuisse purum hominem, probum tamen, & sanctum, qui virtutibus omnibus præcelluit. Carpocratem sequuti sunt Cherinthus, & Ebion auctor Ebionitarum, qui omnes vixerunt tempore Apostolorum, ac prodierunt ex schola Simonis Magi, vt scribit Eusebius lib. 3. Historiæ, cap. 27. & 28. Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum, initio. Nicephorus verò lib. 8. hist. cap. 14. speciatim narrat Ioannem Apostolum, & Euangelistam, cum Ephesi obuium habuisset Cherinthum in balneo, dixisse socijs, *recedamus hinc ne balneum concidat, & simul nos cum Cherintho opprimat.* Hoc idem narrat Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum, Epiphanius lib. aduersus hæreses, hæresi 3. & Irenæus lib. 3. contra hæreses, cap. 3. qui addit vsque ad sua tempora vixisse aliquos, qui audierant Ioannem dixisse verba relata. Cherinthus portò, vt refert idem Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 15. docuit Iesum fuisse purum hominem, & supra illum purum hominem in Baptismo descendisse Christum, Dei filium in specie columbæ, illique annuicias incognitam Patrem, & virtutes, ac miracula fecisse: in fine autem Christum iterum reuolasse de Iesu, & Iesum à Christo derelictum passum esse, ac resurrexisse, Christum autem impassibilem perseuerasse existentem spiritualem.

2. Contra hunc errorem Ioannes scripsit suum Euangelium rogatus ab Episcopis Asiæ, vt docet Hieronymus lib. de Scripturibus Ecclesiasticis, cap. de Ioanne Euangelista. Ideo Ioannes ad ostendendum eandem personam fuisse simul hominem, & Deum, cum initio capitis primi dixisset, *Deus erat Verbum*, inferius addidit, *Verbum caro factum est*, quia eadem persona, quæ ab initio erat Verbum Deus, in tempore facta est caro, & homo. Cap. etiam 20. existimatur contra Cherinthum, qui asserbat Iesum non esse Christum filium Dei, dixisse: *Hæc autem scripta sunt vt credatis, quoniam Iesus est Christus filius Dei:* & Epist. 1. cap. 1. *Omnis, qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo est.*

3. Hunc errorem sequuti sunt deinde Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus, quæ vixit sub Scuero Imperatore circa annum

G

annum Domini 186. & damnatus fuit in quodam Concilio Antiocheno congregato sub Dionysio Papa, vt refert Eusebius lib. 7. Historiarum, cap. 25. & 26. Theodorus Bizantius officio coriarius, vt scribunt Epiphanius lib. aduersus hæreses, hæresi 53. ac tempore Theodosij iunioris circa annum Domini 426. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, à quo hæc hæresis vocatur Nestoriana, quia fuit à Nestorio maximè per orbem propagata. Docuit igitur Nestorius Christum fuisse purum hominem, non autem Deum. Hinc inferebat Mariam Virginem non esse dicendam græcè theotocou, latinè Deiparam, sed Christotocou, & Christiparam. Addebat Christum purum hominem inculpatæ vitæ sanctitate obrinuisse, vt dignus haberetur, cui se diuinitas speciali quodam modo coniungeret, non in vnitate, personæ substantialiter, sed secundum affectum, sicut hominibus iustis, tamen præcipua quadam, & singulari ratione, propter maiorem vitæ sanctitatem, ideoque Christum vocatum fuisse Emmanuelem, hoc est, nobiscum Deum, ac dicendum esse non Deum, sed Deiferum. Negabat etiam Deum fuisse passum, & sepultum, vt catholica fides docet, propter communicationem idiomatum. Licet autem assereret in Christo Deum homini fuisse permixtum, dicebat talem permixtionem fuisse, non substantialem, sed accidentalem, ac solum secundum affectum.

4. Damnatus fuit Nestorius, & hæresis Nestoriana in Concilio Ephesino anno Domini 430. cui Concilio nomine Cælestini Papæ præfuit Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus.

5. Eundem errorem de duabus personis in Christo, vt existimant Alphonsus à Castro aduersus hæreses, verbo *Christus*, hæres 3. & Plateolus in Elencho hæresum, verbo *Petrus Gnaphæus*, & vt insinuat Damascenus lib. 3. de fide, cap. 10. videtur post Nestorium secutus Petrus Gnaphæus, seu Fullo, Episcopus Antiochenus, qui in trisagio, in quo dicitur, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, ausus est addere quartam vocem, *Sanctus, qui passus est pro nobis*, ad significandum Christum, qui passus est pro nobis, fuisse quartam personam distinctam à filio Dei, ideoque in Christo dari duas personas, alteram filij Dei, quæ non sit passa, alteram hominis, quæ sit passa. Aliqui tamen existimant Petrum Gnaphæum non docuisse errorem Nestorianum, sed oppositum errorem Euthychianum, vt explicabitur infra, num. 9. Eundem errorem docuit Theodorus Episcopus Monsphestenus, qui vt colligitur ex Nicephoro lib. 14. historiarum, cap. 30. & 31. & lib. 17. cap. 17. & ex Damasceno lib. 3. de fide, cap. 3. docuit quaternitatem personarum, ita vt Christum non recensuerit inter tres diuinas personas, sed dixerit esse quartam personam, & hanc solam fuisse passam, ne si con-

cederet filium Dei fuisse passum, cogeretur asserere totam Trinitatem fuisse passam, aut alioquin videretur diuidere Trinitatem, si admitteret vnã solam personam fuisse passam, & non alias. Cyrillus porro lib. contra Theodorum, qui est in quinta Synodo generali, act. 5. affirmat Nestorium suum errorem didicisse à Theodoro. Damnati fuerunt errores Petri Gnaphæi, & Theodori Monsphesteni in Synodo quinta generali. Videri potest Vasquez disp. 5. cap. 1.

6. Affinis errori Nestoriano est error aliorum, qui vt dicunt Sanctus Thomas 3. parte quæst. 2. art. 3. & lib. 4. contra Gentes, cap. 38. & plures alij Scholastici, docuerunt in Christo esse vnã tantum personam, duo verò supposita. Quinam fuerint huius erroris Authores, examinant Suarius disput. 7. sect. 3. & Vasquez disput. 15. cap. 2. & 3. vbi etiam agit de controuersia habita cum quibusdam monachis Scythiæ, qui acriter insisterunt, vt definitioni Concilij Chalcedonensis adderetur, *vnus ex Trinitate passus est pro nobis*.

7. Secundus error etiam valdè præcipuus fuit Eutychetis Abbatis Constantinopolitani, qui post damnatum Nestorium incidit in errorem extremè contrarium, ac docuit vnionem Verbi ita factam fuisse in natura humana, vt ex duabus naturis integris, humana nimirum, & diuina, quæ erant ante vnionem, per vnionem facta fuerit vna solum natura. Iam verò tribus modis potest intelligi, quod ex pluribus naturis fiat vna natura. Primò per mixtionem, per quam plures naturæ transmutentur in vnã tertiam naturam, eo pacto, quo ex quatuor naturis elementorum fit vna natura mixta per mixtionem, per quam naturæ elementorum transmutantur in naturam mixta. Secundo per conuersionem vnus naturæ in aliam, eo pacto, quo cum lignum comburitur, ex duabus naturis, ligni, & ignis fit vna natura ignis per conuersionem, qua natura ligni conuertitur in naturam ignis. Tertio per compositionem, qua ex vtraque natura remanente fiat vna natura composita, eo pacto, quo ex natura corporis, & animæ rationalis remanentibus, fit vna natura humana composita.

8. Hæretici igitur dicentes per vnionem Verbi cum humanitate fuisse ex duabus naturis factam vnã naturam, non conueniunt in hoc explicando. Primò quidam Polemius, vt apud Suarium disp. 7. sect. 2. refert Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, docuit vnionem duarum naturarum in Christo factam fuisse per confusionem, & mixtionem duarum naturarum in vnã tertiam. Eundem errorem secuti sunt deinde Iacobitæ, duce Iacobo Syro, vt refert Nicephorus lib. 18. cap. 45. & Acephali, duce Seuerus, vt colligitur ex septima synodo, act. 1. circa finem. Non desunt etiam plures Pa-

tres,

tres, qui errorem Eutychetis in hoc sensu explicant, & impugnant, ac Damascenus contra hos hæreticos scripsit librum de natura composita, ex cuius discursu, & argumentationibus colligitur illos posuisse vñionem vtriusque naturæ in Christo per veram commixtionem, qua conuersa fuerint in vnam tertiam naturam.

9. Secundo Eutyches, vt colligitur ex Leone Papa, epist. 10. ad Flavianum, & ex epistolis Flauiani ad Leonem, videtur docuisse vñionem duarum naturarum factam, fuisse per conuersionem naturæ humanæ in diuinam, adeoque dicebat diuinitatem ipsam passam fuisse, & crucifixam, vt Theodoretus refert, lib. 4. hæreticarum fabularum, cap. vltimo. Errorem Eutychetis in hoc sensu secutus est Dioscorus Episcopus Alexandrinus Cyrilli successor, vt patet ex Concilio Chalcedonensi, act. 1. & 16. & act. 3. in epist. ad Marcianum Augustum de damnatione Dioscori. Eundem errorem secutus est deinde Petrus Gnaphæus Episcopus Antiochenus, qui intulit, quod quia in Christo post vñionem fuit solùm natura diuina, Christus passus est secundum naturam diuinam: & quia natura diuina communis est toti Trinitati, tota Trinitas est passa, ideoque in Trifagio, in quo dicitur *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, addidit quartam vocem, *Sanctus, qui passus est pro nobis*, ad significandum, quod tota Trinitas passa fuerit secundum naturam diuinam.

10. A Petro Gnaphæo orti sunt hæretici, qui dicti sunt Theopaschitæ, quia dixerunt Deum esse passum secundum naturam diuinam. Dicti sunt etiam Patropassiani, quia dixerunt totam Trinitatem, ac proinde etiam Patrem æternum fuisse passum. Videri potest Damascenus lib. 3. de fide, cap. 10. & epist. de Trifagio, & Nicephorus lib. 15. cap. 18. & lib. 18. cap. 46. vbi hunc errorem tribuit etiam Philopono.

11. Tertio vt refert Augustinus lib. de hæresibus, hæres. 55. & Epiphanius hæres. 76. multo ante Eutychetem Apollinaris docuit, vñionem fuisse factam per hoc, quod aliqua particula naturæ diuinæ conuersa fuerit in naturam humanam. Addebat Christum non habuisse animam rationalem, sed corpus cum anima sensitiua, ac Verbum fuisse loco animæ rationalis.

12. Quarto alij dixerunt ex duabus naturis factam fuisse vnicam naturam, non per mixtionem, neque per transmutationem, vnius naturæ in aliam, sed per solam compositionem, qua ex natura humana, & diuina facta sit vna natura composita, proportionaliter, ac ex natura corporis, & animæ fit vna natura humana. Vasquez autem disput. 14. cap. 1. num. 4. existimat Eutychetem in hoc solum sensu docuisse ex duabus naturis factam fuisse vnam naturam in Christo. Notat Suarius disp. 7. sect. 2. Hæreticos multo

antiquiores Eutychete docuisse hos errores, cum eorum mentionem faciat Irenæus Apostolorum discipulus in expositione fidei; Hæreticos etiam recentiores his erroribus fuisse infectos.

13. Damnati fuerunt Eutyches, & Dioscorus in Concilio Chalcedonensi 453. Episcoporum, in quo Dioscorus fuit etiam ab Episcopatu depositus. Ante Concilium Chalcedonense coactum fuerat iussu Sancti Leonis Papæ Concilium Ephesinum secundum, quod degenerauit in Conciliabulum, eoque a factione Dioscori per vim extorta fuit ab Episcopis definitio hæresis Eutychiænæ, ac damnatio fidei catholicæ, Sanctus Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, qui damnauerat Eutychetem, fuit interfectus, & Sanctus Leo Papa non multo post fuit a Dioscoro excommunicatus in Conciliabulo Alexandrino. Errores Nestoriani, & Eutychiæni vsque ad nostra tempora durant in Oriente, & in Æthiopia.

14. Tertius error fuit Arrij, qui docuit in Christo non fuisse vllam animam sensitiuam, neque rationalem, sed Verbum vnitum fuisse carni, vt formam, loco animæ. Damnatus fuit hic error in quodam Concilio Romano sub Damaso, quod habetur inter decreta Damasi, & in Concilio Ephesino, cap. 15. Huius hæreseos mentionem facit S. Augustinus lib. de hæresibus, hæresi 49. & contra illam scripsit Athanasius quatuor sermones. Reiecta etiam fuit a Gregorio Nazianzeno epist. 1. & 2. ad ad Gliconium, & ab Ambrosio lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7.

15. Quartus error fuit Valentini, qui vixit sub Antonino Pio Imperatore circa annum Domini 139. vt refert Irenæus lib. 3. cap. 4. Docuit igitur Valentinus corpus Christi non fuisse ex carne nostra, nec sumptum ex Virgine, sed ex materia cœlesti, ac transisse per Virginem, tamquam per quemdam canalem, quod est expressè contra Scripturam, in qua ad Rom. 1. dicitur, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, & ad Galatas 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Confirmatur: nam Christus sæpissimè se vocat filium hominis; sed si non esset consubstantialis homini, nõ esset filius hominis; ergo.

16. Quintus error fuit Manetis Persæ, qui se Manicheum nominauit, & vixit circa annum Domini 172. vt refert Eusebius lib. 7. Historiarum, cap. 27. qui docuit Christum non habuisse corpus verum, sed phantasticum, ac proinde non verè passum fuisse, nec verè mortuum. Ante Manichæum similem errorem docuerat Cerdon, vt refert Augustinus lib. de hæresibus, cap. 21. Damoatus fuit hic error in Concilio Ephesino, & a Sancto Leone, epist. 71. ad Asturicensem Episcopum. Videri potest circa hos errores, alioque de Incarnatione Alphonsus a Castro lib. de hæres. Verbo Christus.

17. Contra istos omnes errores fides catholica docet in Christo dari duas naturas integras, perfectas, inconfusas, immixtas, diuinam nimirum, & humanam sub vna personalitate Verbi diuini, ideoque in Christo vnam tantum dari Personam, vnum suppositum, & vnam hypostasim. Cum tamen sit duplex natura perfecta, diuina, & humana illa vna persona Christi est verè, & perfectè Deus consubstantialis Patri, verè, & perfectè homo consubstantialis matri, nec quicquam diuinitatis in carnem, nec quicquam humanitatis in Deum mutatum est, sed vtraque natura, quod suum est, & ad ipsam spectat, retinuit, vt explicabitur quæstionibus sequentibus.

18. Addo oppositos errores Sabellianorum, & Arrianorum contra mysterium Trinitatis, & Nestorianorum, atque Eutychianorum contra mysterium Incarnationis ortos fuisse ex eo, quod Personam non distinxerunt à natura. Testatur id Epiphanius Diaconus in 7. Synodo generali, act. 3. tomo 3. post medium, vbi loquens de Eutychianis, & alijs hæreticis, dicit. *Nihil aliud agunt, quam vt ostendant naturam, & hypostasim idem esse, quæ sanè inter se differre, veri Ecclesiæ Catholice alumni cognoscunt.* Idem testatur Damascenus lib. 3. de fide, cap. 3. dicens. *Verum hoc hæreticis inducit errorem, quod idem dicunt naturam, & hypostasim, suppositum uè, ac personam.* Idem docuit Vigilius lib. 2. de fide contra Eutychem, & alij.

19. Explicatur, quo pacto ex eodem principio hæretici intulerint errores oppositos. Sabellius, & Arrius conuenerunt in hoc falso principio, quod in Deo persona, & natura nullo pacto differant. Subsumpsit Sabellius: sed in Deo vna tantum est essentia, ac natura diuina, vt constat ex Scripturis; ergo in Deo vna tantum est persona, ac proinde Pater, Filius, ac Spiritus sanctus non sunt tres Personæ, sed vna tantum Persona, quæ per ordinem ad diuersas operationes ad extra, vocatur tribus nominibus. Nam in quantum creauit mundum, vocatur Pater: in quantum incarnata est ex Virgine, vocatur filius: in quantum descendit ad homines sanctificandos, vocatur Spiritus sanctus. Subsumperunt Arrius, Macedonius, & alij. In Deo dantur tres Personæ, vt constat ex Scriptura: ergo dantur tres naturæ, & essentiæ, ac proinde alia est natura, & essentia Patris, alia natura, & essentia Filij, alia natura, & essentia Spiritus sancti.

20. Proportionaliter circa mysterium Incarnationis Nestoriani ex vna parte, & Eutychiani ex altera conuenerunt in eodem falso principio, quod natura nullo pacto differat à persona. Subsumperunt Nestoriani: sed in Christo dantur duæ naturæ completæ, & integræ, diuina, & humana: & intulerunt; ergo in Christo dantur duæ personæ, diuina nimirum, & humana, ac proinde persona Filij Dei non est persona Filij Virginis, ac B. Virgo non

fuit mater Dei, sed solius hominis. Subsumperunt Eutychiani: sed in Christo datur vna tantum persona, vt constat ex Scripturis: & intulerunt; ergo datur vna tantum natura. Inter hos errores media incedit catholica fides, ac docet, quod datur aliqua distinctio inter personam, & naturam, propter quam in Deo dantur tres personæ, & vna tantum natura, atque essentia: in Christo è conuerso dantur duæ naturæ, & vna tantum persona. Vt igitur explicemus mysterium Incarnationis, in quo duæ naturæ vnijuntur in vna persona, debemus explicare, in quo differant suppositum, ac persona à natura, præsertim quia vt dicit Anselmus lib. de Incarnatione Verbi, cap. 2. in fine: *Qui non intelligit discrimen inter personam, & naturam, non potest intelligere mysterium Incarnationis.*

QVAESTIO XXI.

Virum suppositum, & persona addant aliquid supra naturam singularem completam: & virum addant aliquid positium, vel negatiuum, accidentale, vel substantiale?

1. **P**rimò videtur, quod suppositum, & persona nihil addant supra naturam, substantialem singularem completam. Buccphalus enim est suppositum equi, ac non potest explicari, quid addat supra hanc singularem, & completam naturam equinam constantem, ex corpore, & anima equi: Petrus est suppositum, & persona hominis, Michael est suppositum, & persona Angeli, ac non potest explicari, quid addant supra hanc singularem, & completam naturam humanam, vel angelicam.

2. Secundò videtur suppositum, & persona supra naturam singularem completam addere solam negationem vnionis substantialis, qua perficiatur ab altera substantia. Natura enim singularis completa constituitur suppositum per hoc, quod per se subsistat, hoc est sicut in sua perfectione substantiali; sed per se subsistit per hoc, quod non vnatur alteri substantiæ, vnione, qua substantialiter perficiatur: ergo &c. Probatur minor: nam mea humanitas ex. gr. per se subsistit, hoc est sicut in sua perfectione substantiali per hoc præcisè, quod non vnatur substantialiter alteri substantiæ à qua perficiatur. E conuerso humanitas Christi non per se subsistit, quia vnatur substantialiter Verbo diuino, à quo perficitur, ac proinde non sicut in sua perfectione substantiali.

3. Tertiò si id, quod suppositum addit supra naturam, esset aliquid positium, deberet præstare aliquem effectum formalem, què non potest præstare pura negatio; sed non præstat, nec potest explicari talis effectus formalis: ergo &c.

4. Quartò mysterium Incarnationis potest

est æquè benè explicari, dicendo, quod suppositum supra naturam addit puram negationem, ac dicendo, quod addit aliquid positivum; ergo &c.

5. Quintò si suppositum supra naturam adderet suppositivam, & personalitatem positivam substantialem, Verbum divinum, cū non assumpserit nostram personalitatem, non assumpsisset totam nostram substantiam; sed vt docet Damascenus lib. 3. de Fide, cap. 7. quod à Verbo non fuit assumptum, non fuit curatum; ergo à Verbo non fuisse curata tota nostra substantia, quod est absurdum.

6. Sextò si suppositum supra naturam adderet aliquam perfectionem positivam substantialem; humanitas Christi esset in statu violento, quod est absurdum. Probatur sequela. Quod enim caret aliqua perfectione positivam substantialem ipsi naturaliter debita est in statu violento; sed humanitas Christi careret propria personalitate, quæ personalitas esset perfectio positivam substantialem naturaliter debita ipsi humanitati; ergo &c.

7. Respondeo ex doctrina Aristotelis 5. metaphysicæ, cap. 8. tex. 15. in fine, substantiam dici duobus præcipuis modis. Substantia primo modo dicta est singulare per se subsistens primo, habens naturam completam. In hoc sensu substantiæ sunt Petrus, Bucephalus, Michael, hæc arbor, hic lapis, & alia singularia materialia, vel immaterialia per se primo subsistentia, habentia completam naturam hominis, equi, angeli, arboris, lapidis &c. Substantia secundo modo dicta est ipsa forma, & species, per quam vnumquodque singulare per se primo subsistens constituitur in sua specie. Et quia singulares homines, puta Petrus, Paulus &c. constituuntur in specie hominis per humanitatem, quæ est natura, & forma hominis; singulares equi, puta Bucephalus &c. constituuntur in specie equi per equitatem, quæ est natura, & forma equi: ideo humanitas, equinitas &c. sunt substantiæ secundo modo dictæ.

8. His duobus præcipuis modis possumus addere tertium, quo substantiæ dicuntur omnes partes, & omnia constitutiva singularium per se primo subsistentium. Et quia dantur aliqua singularia per se primo subsistentia, & composita ex materia, & forma, & ex pluribus partibus integralibus, & continuatis simul unitis, eo pacto, quo Petrus componitur ex anima, & corpore, tanquam ex partibus essentialibus; ex capite, manibus pedibus &c. tamquam ex partibus integralibus; ex carne, & ossibus, quæ caro, & ossa componuntur ex pluribus partibus carnis, & ossis continuatis, ideo omnes partes, tum essentialis, tum integrales, tum continuatiæ, ex quibus componuntur singularia per se primo subsistentia, & vniotalium partium, hoc tertio modo dicuntur substantiæ. Accidens è conuerso dicitur, quod ita exigit esse in alio, tanquam in subie-

cto, vt neque per se subsistat, neque sit pars, aut constitutum entis per se subsistentis, vt subsistentis.

9. Substantia primo modo dicta ab Aristotele in prædicamentis cap. de substantia, vocatur prima substantia, à Porphyrio cap. 3. suæ introductionis vocatur indiuiduum, à Patribus, Theologis, & philosophis latinis vocatur suppositum, & subsistentia. Dicitur autem subsistentia, quia per se subsistit primo. Dicitur suppositum, quia in linea prædicamentali singulare per se subsistens primo ponitur ultimo loco sub omnibus alijs prædicamentis. Nos de illa loquentes vtetur nominibus suppositi, & hypostasis, vt potè magis vtitis, non autem nomine subsistentiæ, quod ex vsu recentiorum sumi solet frequentius ad significandum id, per quod singulare constituitur per se subsistens, quam ad significandum ipsum singulare per se subsistens primo. Suppositum ex doctrina Boetii lib. de duabus naturis describi potest, *nature complete indiuidua substantia*; & quia substantia idem est acens per se subsistens, indiuiduum idem est, ac singulare, ideo hæc definitio coincidit cum nostra, qua num. 7. suppositum definiuimus *singulare per se subsistens primo, habens naturam completam*.

10. Suppositum, cum habet naturam completam irrationalem, retinet nomen genericum suppositi: cum habet naturam completam rationalem non solum vocatur suppositum nomine generico, sed etiam nomine specifico vocatur persona, ideoque persona à Boetio lib. de duabus naturis definitur, *Rationalis nature indiuidua substantia*, hoc est *singulare per se subsistens primo, habens naturam completam rationalem*. Ratio est, quia vt ex Boetio lib. de duabus naturis docet Sanctus Thomas 1. p. quæst. 29. art. 3. ad 2. nomen personæ primò est impositum ad significandos illos, qui personati in comædijs, & tragædijs representabant homines in dignitate constitutos; & quia maxima est dignitas naturæ rationalis, ideo nomen personæ traductum est ad significanda singularia habentia naturam rationalem, completam. Suppositum igitur comparatur ad personam, sicut genus ad speciem, ac sola supposita naturæ rationalis, ac intellectualis, nimirum naturæ diuinæ, angelicæ, vel humanæ, vocantur personæ. Supposita naturarum irrationalium, puta Bucephalus &c. non vocantur personæ. Singularia autem, quæ ita per se subsistunt, vt habeant naturas incompletas in specie, neque vocantur supposita, neque personæ; ex gr. anima separata licet per se subsistat, non est suppositum, neque persona. Ex proportionali ratione manus separata, pes separatus non est suppositum, vt docet Sanctus Thomas 1. p. quæst. 29. art. 1. ad 5. Natura porro completa est, *quæ non potest esse pars essentialis, aut integralis alterius naturæ*, vt humanitas. Natura incompleta est, *quæ potest esse*
pars

pars essentialis, aut integralis alterius nature, vt materia, & forma, natura capitis: & pedis &c.

11. Substantia secundo modo dicta ab Aristotele in prædicamentis, cap. de substantia, vocatur secunda substantia; à Sanctis Patribus Grecis vocatur *vsia*, & *physis*; à Latinis vocatur *essentia*, & *natura*, ac nos nomine *naturæ*, vtpotè vltiori illam vocabimus. Vocatur etiam *forma totius*, quia per naturam, tamquam per formam, suppositum, quod est totum substantiale, constituitur in sua specie completa. Natura definitur à Boetio lib. de duabus naturis; *Vnumquodque informans specifica differentia*, quia natura completa est forma, per quam vnum quodque suppositum constituitur in sua specie, eo pacto, quo humanitas est forma, per quam Petrus &c. constituuntur in specie hominis. Hæc autem natura ab Aristotele 2. Physicorum, text. 13. definitur *principium motus, & quietis in eo, in quo primo, & per se, & non per accidens inest*, atque in entibus sensibilibus est principium, vt moueantur, & quiescant sensibilibus: in Angelis est principium, vt moueantur, & quiescant intelligibilibus; in Deo est, à qua est diuina operatio immanens intelligendi, ac volendi, vt explicauimus quæst. 12. physica.

12. His positis, quæritur, vtrum suppositum, & persona supra naturam singularem, addat aliquid distinctum, positium, vel negatiuum, substantiale, vel accidentale; ex. gr. quæritur, vtrum suppositum, & persona Petri supra hanc singularem humanitatem ipsius Petri addat aliquid distinctum? Similiter quæritur, vtrum Michael, qui est suppositum, naturæ angelicæ, supra hanc numero naturam, quam habet, addat aliquid distinctum, positium, vel negatiuum, substantiale, vel accidentale?

13. Prima sententia Henrici quodlib. 4. dist. 34. qu. 1. & quorundam aliorum docet suppositum creatum supra naturam singularem addere aliquid, non re, sed sola ratione distinctum.

14. Reijcitur. Nam si suppositum, & persona creata hominis ex. gr. supra hanc numero humanitatem aliquid adderet sola ratione distinctum, non posset à parte rei dari hæc numero humanitas, quin daretur suppositum, & persona creata hominis: non enim potest dari res, quin dentur omnia, quæ sola ratione distinguuntur ab ipsa: siquidem distinctio rationis non sufficit ad hoc, vt vnum possit dari sine alio; sed potest dari hæc numero humanitas, ac de facto datur in Christo, quin datur suppositum, & persona creata: alioquin in Christo darentur duo supposita, & duæ personæ, altera increata Verbi, altera creata hominis, quod est hæreticum, & Nestorianum; ergo.

15. Dices naturam vocari suppositum, quando per se est, quando autem in alio est,

non dici suppositum; neque personam: & quia humanitas Christi non est per se, sed est in Verbo, non est suppositum, neque persona. E conuerso humanitas mea est suppositum, & persona, quia est per se.

16. Sed contra: nam humanitas Christi per se ipsam est indifferens ad hoc, vt sit per se, vel non sit per se, sed sit in Verbo, vel in alia persona diuina: ergo ly *esse per se* plusquam ratione distinguitur ab illa humanitate. Illud enim, sine quo aliquid potest existere, plusquam ratione distinguitur ab illo: ergo suppositum & persona, quod supra naturam singularem, addit, vt sit per se, addit aliquid plusquam ratione distinctum à natura singulari. Quæritur, quid sit id, quod addit, positium ne, vel negatiuum, substantiale, vel accidentale?

17. Secunda sententia, quam licet non omninò assertiuè, proponit, ac defendit Scotus in 3. distinct. 1. quæst. 1. & alibi, & quæ tribuitur etiam Sancto Bonauenturæ in 3. distinct. 3. art. 2. quæst. 2. & quam sequuntur Ochamus ibidem, & omnes Nominales, & ex nostris Molina 1. par. quæst. 29. art. 1. disput. 2. in fine, docet suppositum supra naturam singularem substantialem completam addere solum, quod sit per se: & quia naturam esse per se, nihil aliud est, quam non esse vnitam intrinsicè alteri substantiæ, ita vt cum illa faciat vnum per se, idèò suppositum supra naturam singularem nihil aliud addit, quam negationem vnionis intrinsicæ cum alia substantia, ita vt faciat cum illa vnum per se. In Christo igitur licet detur humanitas, quæ est natura creata, singularis, substantialis, completa, tamen non datur suppositum creatum, quia vt illa natura singularis esset suppositum, & persona, deberet esse per se, hoc est deberet carere vnione, qua faceret vnum per se cum alia substantia, qua vnione non caret, cum de facto sit ita vnita Verbo, vt faciat cum illo vnum per se. E' conuerso in me datur suppositum creatum hominis, quia mea humanitas per se est, cum careat vnione, qua faciat vnum per se cum Verbo, vel cum qualibet alia substantia. Nestorius, quia docuit humanitatem Christi non fuisse vnitam Verbo substantialiter, ita vt faceret vnum per se cum Verbo, sed merè accidentaliter, docuit dari in Christo personam, & suppositum creatum. Concilia, & Ecclesia definiuerunt humanitatem Christi ita esse vnitam Verbo, vt faciat vnum per se cum Verbo, ac proindè in Christo non dari Personam, & suppositum creatum.

18. Addunt Ochamus, & Nominales suppositum esse naturam cum quatuor negationibus, quarum tres cum sint mutuo inseparabiles à natura, identificantur cum natura, ac proindè realiter sunt entia positiua: quarta distinguitur à natura, & à quolibet ente positiuo. Suppositum nimirum est natura singularis, substantialis, completa, per se existens: sed natura.

naturâ constituitur singularis per negationem vniuersalitatis, quæ negatio identificatur cum hæcitate positiua naturæ; constituitur substantialis per negationem aptitudinis ad inhærendum subiecto inhærentia propria accidentis, quæ negatio identificatur cum ipsa substantialitate naturæ; constituitur completa per hoc, quod non sit apta vni alteri naturæ per modum partis, quæ negatio identificatur cum ipso complemento naturæ; & constituitur per se existens per negationem vniionis, qua faciat vnum per se cum alia substantia, quæ negatio distinguitur à natura; siquidem natura singularis substantialis completa potest dari, ac de facto datur in Christo sine tali negatione; ergo.

19. Tertia sententia Heruæi, quodlibet 3, quæst. 6. laelli 7. Metaph. quæst. 17. & aliorum docet suppositum supra naturam addere aliquid positiuum, non substantiale, sed accidentale, & addere quasdam proprietates, & quædam accidentia characteristicæ, per quæ vnum individuum discernatur ab alio, puta Petrus à Paulo.

20. Quarta sententia Caietani 3. par. qu. 4. art. 2. quam sequuntur communiter Thomistæ, & penè omnes Auctores Societatis, nimirum Suarez disp. 34. metaphys. sect. 4. Vasquez disp. 31. in 3. par. cap. 6. Valentia, Cardinalis de Lugo de Incarnatione, disp. 12. sect. 4. & alij, docet suppositum supra naturam addere aliquid positiuum, non accidentale, sed substantiale.

21. Dicendum primò cum quarta sententia contra secundam, & tertiam; suppositum supra naturam addit, non meram negationem sed complementum positiuum, non accidentale, sed substantiale.

Probat primo. Nam vt aduersarij fatentur, suppositum supra naturam addit id, per quod natura singularis substantialis completa constituitur per se subsistens primo; sed natura singularis substantialis completa constituitur per se subsistens primò, non per meram negationem, sed per aliquid positiuum substantiale; ergo. Probat minor. Nam cum substantia, & accidens quoad modum existendi differant per hoc, quod substantia per se subsistit, accidens non per se subsistit, sed inhæret subiecto, id, per quod substantia per se subsistit, debet proportionaliter correspondere illi, per quod accidens inhæret subiecto; sed accidens subiecto inhæret, non per meram negationem, sed per modum positiuum inhærentiæ; ergo substantia per se subsistit, non per meram negationem, sed per modum positiuum substantiæ.

22. Confirmatur, & explicatur. Nam ex duobus modis existendi, si imperfectior est positiuus, à fortiori perfectior est positiuus, licet explicetur per negationem; ex. gr. quia Deus, & creaturæ differunt per hoc, quod Deus est à se, creatura est ab alio, modus autem dependentiæ, quo creatura est ab alio, ac

dependet à Deo, est positiuus, à fortiori a seitas, qua Deus est à se, est perfectio positiua; licet à nobis explicetur per negationem, ac dicatur Deum esse à se per hoc, quod non dependeat ab alio; sed inhærentia, quæ est modus imperfectior existendi, est entitas positiua, & non est mera negatio; ergo substantia, quæ est modus perfectior existendi, est perfectio positiua, & non est mera negatio, licet à nobis explicetur per negationem. Confirmatur rursus ad hominem. Nam Aduersarij licet doceant suppositum supra naturam addere quatuor negationes, tamen fatentur tres primas esse perfectiones positiuas, licet per negationem explicatas; ergo etiam quarta negatio erit perfectio positiua substantiæ, licet explicetur per negationem vniionis cum alia substantia.

23. Probat secundò. Nam suppositum in ratione suppositi est substantia totalis, imò est prima substantia, quæ per Aristotelem in prædicamentis, cap. de substantia, est principaliter, & maximè substantia, & est magis substantia, quam secunda substantia, hoc est natura; sed substantia totalis in ratione substantiæ totalis non potest constitui per negationem, neque per accidens, & quod est magis substantia, non potest constitui magis substantia per negationem, neque per aliquid non substantiale, eo pacto, quo non potest aliquid constitui magis lucidum per negationem vterioris lucis, neque per aliquid, quod sit non lux; ergo &c. Ratio à priori est quia substantia totalis vt totalis, est substantialiter perfecta, & præemuet substantiæ partiali; sed repugnat, vt substantia sit substantialiter perfecta per aliquid non substantiale; ergo suppositalitas, & personalitas, qua constituitur substantia totalis in ratione substantiæ totalis, est perfectio substantialis, ac proinde non est accidens, neque pura negatio.

24. Probat tertio. Nam persona, in quantum addit aliquid supra naturam, est ens per se, ac non est ens per accidens, ac non differt à natura, sicut homo cæcus, aut homo non videns Deum ab homine, neque sicut homo albus ab homine; sed si persona supra naturam adderet solam negationem, vel solum accidens, persona, in quantum addit aliquid supra naturam, non esset ens per se, sed ens per accidens, ac differret à natura, sicut ab homine differt homo cæcus, homo non videns Deum, vel homo albus; ergo &c. Probat minor. Nam concretum ex substantia, & negatione, vel accidente, est ens per accidens: ex. gr. homo cæcus, homo non videns Deum, & homo albus sunt ens per accidens, & non per se; sed si persona supra naturam adderet solam negationem, vel solum accidens, persona, in quantum addit aliquid supra naturam, esset concretum ex substantia, & negatione, vel accidente; ergo esset ens per accidens, & non per se.

25. Confirmatur. Nam ego vt ego sum persona quadam, & in ratione talis personæ constitutor per naturam humanam, & per id, quod persona addit supra naturam: ergo si persona supra naturam adderet solam negationem, vel solum accidens, ego vt ego essem ens per accidens, & essem sicut homo cæcus, vel homo albus. Similiter Petrus, Paulus, aliæque personæ essent ens per accidens; ergo.

26. Probaturo quarto. Nam duæ substantiæ completæ in ratione substantiæ non possunt per se vniri ita, vt constituent vnum substantiale per se; sed si personalitas supra naturam non adderet complementum positium substantiale, Verbum diuinum, & humanitas Christi essent duo entia completa in ratione substantiæ: ergo non possent per se vniri, ita vt constituerent vnum substantiale per se, ac proindè Christus vt constitutus per Verbum, & humanitatem, non esset vnum substantiale per se, sed esset vnum per accidens, quod est absurdum, & hæreticum. Probaturo minor. Illa enim substantia est completa in ratione substantiæ, quæ ex se non debet esse pars alterius substantiæ, neque indiget complemento substantiali; sed si personalitas supra naturam non adderet complementum substantiale, humanitas Christi ex se non deberet esse pars alterius substantiæ, ac non indigeret complemento substantiali: ergo esset completa in ratione substantiæ.

27. Confirmatur, & explicatur primo. Nam quia natura humana, & diuina sunt duæ naturæ ita completæ in ratione naturæ, vt neutra debeat esse pars alterius naturæ, ac neutra indigeat complemento in ratione naturæ, natura humana, & diuina non vniuntur, nec possunt vniri in ratione naturæ, ita vt ex ipsis fiat vna natura, vt contra Eutychnos docet fides catholica: ergo si Verbum, & humanitas Christi essent duæ substantiæ ita completæ in ratione substantiæ, vt neutra indigeret complemento substantiali, ac neutra deberet esse pars alterius substantiæ, non vniuntur per se, nec possent per se vniri in ratione substantiæ. E conuerso quia in nostra sententia humanitas Christi est substantia ita incompleta, vt indigeat complemento substantiali personalitatis, ac debeat esse pars alterius substantiæ, nimirum suppositi constantis ex humanitate, & ex personalitate substantiali, potest per se vniri Verbo in ratione substantiæ, ita vt compleatur per subsistentiam Verbi, & cum Verbo constituat ens substantiale per se vnum, proportionaliter, ac anima, & corpus, quia sunt duæ naturæ incompletæ in ratione naturæ, ita vt vtraque debeat esse pars alterius naturæ, nimirum naturæ humanæ, possunt per se vniri in ratione naturæ, ita vt ex anima, & corpore constituatur natura humana per se vna.

28. Confirmatur secundo. Nam quia natura humana est ita completa in ratione

naturæ, vt non indigeat complemento in ratione naturæ, nec debeat esse pars alterius naturæ, est etiam ita completa in ratione naturæ, vt neque per modum aliquem superadditum vnionis possit ordinari ad constituendam cum natura diuina naturam per se vnam, ideoque non potest per se vniri naturæ diuinæ in ratione naturæ; ergo si natura humana esset ita completa in ratione substantiæ, vt non indigeret complemento in ratione substantiæ, nec deberet esse pars alterius substantiæ, neque per modum aliquem superadditum vnionis posset ordinari ad constituendam cum Verbo substantiam per se vnam. Breuiter. Proportionaliter natura humana Christi esset completa in ratione substantiæ, ac sit completa in ratione naturæ; sed quia est completa in ratione naturæ, non potest vniri naturæ diuinæ ad constituendam naturam per se vnam; ergo neque posset vniri Verbo ad constituendam substantiam per se vnam, ac proindè Christus non esset substantia per se vna, ac non esset vnum substantiale per se.

29. Probaturo quinto. Nam si naturam creatam subsistere nihil aliud esset, quam naturam creatam non vniri alteri substantiæ, humanitas Christi cum vniatur Verbo diuino, non subsisteret; sed hoc est absurdum, & contra doctrinam Conciliorum, & Patrum afferendorum infra, qui dicunt humanitatem Christi subsistere, non quidem per subsistentiam propriam, sed per subsistentiam Verbi: ergo &c. Probaturo sequela. Nam quia aerem esse tenebrosum, est aerem careere luce, repugnat aerem esse tenebrosum per lucem sibi vnitam: ergo si humanitatem subsistere, esset humanitatem non vniri alteri substantiæ, repugnaret humanitatem subsistere per Verbum sibi vnitum. Confirmatur: nam subsistentia Verbi, vt vnita humanitati supplet subsistentiam propriam ipsius humanitatis in ordine ad reddendam humanitatem subsistentem; sed si substantia propria consideret in negatione vnionis substantialis cum alia substantia, subsistentia Verbi non posset supplere subsistentiam propriam humanitatis in ordine ad reddendam illam subsistentem; ergo &c. Probaturo minor: nam quia aer constituitur tenebrosus per hoc, quod non habeat sibi vnitam lucem, lux vt vnita aeri non potest supplere negationem lucis in ordine ad reddendum aerem tenebrosum: ergo quia humanitas constitueretur subsistens per negationem vnionis cum alia substantia, subsistentia Verbi vt vnita humanitati non posset supplere talem negationem in ordine ad reddendam humanitatem subsistentem.

30. Probaturo sexto. Nam Personæ diuinæ constituuntur per personalitates positiuas, Paternitatem nimirum, filiationem, & spirationem passiuam: ergo etiam personæ creatæ constitui debent per personalitates posi-

liti.

si uas. Confirmatur: nam si naturam subsistere esset naturam ita sistere in se ipsa, ut non communicetur alteri substantiæ totali per se subsistenti, natura diuina non subsisteret in Patre per subsistentiam Patris, siquidem non ita sistit in Patre, ut non communicetur alteri substantiæ totali per se subsistenti, cum de facto communicetur Filio, qui est suppositum, seu substantia totalis per se subsistens, neque subsisteret per subsistentiam Filij, cum communicetur Spiritui Sancto.

31. Posito, quod suppositum, & persona supra naturam singularem completam addat aliquid posituum substantiale, queritur, quid illud sit? Non conueniunt auctores in hoc explicando. Primò Capreolus in 3. dist. 5. quæst. 3. art. 3. docet suppositum supra naturam addere existentiam, quam putat distingui ab essentia, & natura, & identificari cum substantia. Secundo Caietanus 3. parte, quæst. 4. art. 2. putat suppositum supra naturam addere aliquid distinctum ab existentia, & à natura, quod contrahat naturam ad rationem suppositi, antequam naturæ intelligatur aduenire existentia. Tertio Suarez, Vasquez, Cardinalis de Lugo, aliique auctores Societatis, locis supra citatis, existimant suppositum supra naturam ut existentem, addere modum substantialem, quo natura ut existens determinatur ad existentiam per se, ideoque hunc modum vocant subsistentiam, seu perfectam: & hanc sententiam sequimur.

32. Probarur primo. Nam in Deo tres Personæ, & tria supposita supra naturam diuinam, ut absolutè existentem per se ipsam, addunt tres modos virtualiter distinctos intrinsecè, quibus natura diuina constituitur per se subsistens in tribus diuinis suppositis, ac Personis: ergo etiam in creaturis suppositum supra naturam ut existentem addit modum, quo natura creata ut existens constituitur per se subsistens.

33. Probarur secundo. Nam duæ aliæ opiniones Caietani, & Capreoli supponunt essentiam in creatis distingui ab existentia, quod satis communiter negatur. Iuxta opinionem Capreoli humanitas Christi non existeret per existentiam creatam, sed per increatam Verbi, quod videtur impossibile: siquidem de ratione creaturæ est, ut habeat esse creatum, ac dependens à Deo, non autem increatum, & à Deo independens. Iuxta sententiam Caietani dicentis subsistentiam præcedere existentiam, suppositum prius esset per se subsistens, quam existens, quod est inintelligibile.

34. Dicendum igitur, quod sicut natura accidentalis ut existens, est in alio per modum posituum accidentalem, qui vocatur inherencia, sic natura substantialis ut existens, est per modum posituum substantialem, qui vocatur subsistentia. Ut autem melius explicetur quidditas subsistentiæ,

Tom. III.

proponenda sunt, & soluenda quædam dubia.

35. Queritur igitur primo, utrum cum natura subsistens est simplex, etiam subsistentia sit simplex?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia cum natura est simplex, non est ratio, cur debeat subsistere per subsistentiam non simplicem, sed compositam. Quia igitur natura diuina, & angelica est simplex, etiam subsistentia, & personalitas diuina, & angelica est simplex.

36. Queritur secundo, utrum cum natura est composita ex materia, & forma, etiam subsistentia sit composita ex duabus partialibus subsistentijs, altera materiæ, altera formæ.

Respondeo negatiuè, ac dico, quod sicut materia, & forma uniantur vnica vnione, ut cum Suarez dixi quæst. 10. physicæ, in quarto argumento, & eius solutione, sic per se subsistunt vnica subsistentia communi. Hinc sequitur, quod sicut ut ibidem dixi, vnio, quæ anima spiritalis vnitur corpori materiali, non est spiritalis, sed materialis, cum dependeat à materia, sic subsistentia, quæ subsistit homo constans ex anima spiritali, & corpore materiali, non est spiritalis, sed materialis, cum dependeat à corpore, & à materia.

37. Queritur tertio, utrum cum natura est composita ex pluribus partibus integralibus, & continuatiuis extensis, etiam subsistentia sit composita ex pluribus subsistentijs partialibus partium.

Respondeo affirmatiuè. Sicut igitur homo constat ex capite, manibus, pedibus, carnibus, ossibus, sic hominis subsistentia, constat ex pluribus partialibus subsistentijs, capitis, manuum, pedum &c. Ratio est, quia cum subsistentia sit modus materialis, debet extendi proportionaliter, ac extenditur subiectum. Suppositalitas dicitur subsistentia totalis, quæ per se subsistit totum habens naturam completam. Personalitas dicitur suppositalitas naturæ rationalis. Ex. gr. sicut meum caput non est suppositum, neque persona, sic subsistentia partialis mei capitis non est suppositalitas, neque personalitas, sed sola mea subsistentia totalis est suppositalitas, & personalitas.

38. Dices. Gutta separata ab Oceano est suppositum aquæ: gutta vnita Oceano non est suppositum; sed gutta separata differt ab vnita solum per hoc, quod gutta separata non habet vnionem continuatiuam cum Oceano, gutta vnita habet talem vnionem: ergo suppositum constituitur per negationem vnionis continuatiuæ, quod repugnat nostris principijs.

Respondeo, nego minorem, ac dico, quod sicut partes continui substantialis continuantur punctis, lineis, ac superficiebus continuatiuis substantialibus, sic cum sunt separata, terminantur punctis, lineis, ac superficiebus terminatiuis substantialibus, ut explicauimus quæst. 41. physicæ, ac proinde suppositum

¶

tum

tum continuum constituitur in ratione suppositi terminis positius, non autem puris negationibus. Proportionaliter substantia totalis constituitur formaliter suppositalitas, & personalitas, non per negationem unionis cum alia substantia partiali, sed per terminos positivos substantiales.

39. Queritur quarto, quo pacto supposita hominum, animalium, & plantarum remaneant eadem numero per totam vitam, licet per nutritionem, & augmentationem acquirant semper novas partes materiae, ac substantiae, amissis quibusdam partibus, quas prius habebant.

Respondeo, quod proportionaliter explicandum est, quo pacto remaneant eadem numero supposita, ac explicatur, quo pacto retineant eandem numero naturam. Sicut igitur homo, qui concipitur, & nascitur minima molis, licet per nutritionem, & augmentationem acquirat magnam molem, tamen retinet eandem numero naturam humanam, quam accepit in conceptione, & natiuitate, quia retinet eandem animam, & easdem partes primigenias, ac praecipuas materiae, in quibus consistit humidum radicale, vt explicauimus quaest. 9. physicae, in resp. ad 1 sic remanet idem numero suppositum, & eadem numero persona, quia in eo conseruantur eadem praecipuae, ac primigeniae partes suppositalitates, seu personalitatis. Idem proportionaliter dic de alijs animalibus, ac plantis. Debet autem aduerti, quod quaedam magis, quaedam minus perfecte remanent eadem numero. Deus semper est perfectissime idem numero, cum semper retineat totum suum esse sine vlla intrinseca mutatione. Angeli remanent idem numero quoad totam suam substantiam, non quoad omnia accidentia intrinseca, cum quoad aliqua accidentia mutantur. Homines pro statu vitae praesentis remanent idem numero, non quoad totam substantiam, cum quaedam partes substantiae per nutritionem acquirant, quaedam amittant, sed solum quoad animam rationalem, quae est indiuisibilis, & quoad partes praecipuas materiae. Idem homines post resurrectionem semper erunt idem numero quoad totam substantiam, sicut Angeli. Animalia, & plantae, si habent animas diuisibiles, neque remanent idem numero quoad totam formam, sed solum quoad partes praecipuas formae, & materiae. Motus, duratio, & alia entia successiua remanent eadem numero, solum per quamdam continuationem successiuam.

40. Queritur quinto, vtrum sit verum, quod natura differt ab hypostasi, seu supposito, vt vniuersale a singulari, vt commune a proprio, & vt communicabile ab incommunicabili, vt docuerunt Basilus episcopus. 43. Gregorius Nisenus de differentia essentiae, & hypostaseos, Cyrillus Alexandrinus dialogo de Trinitate, lib. 1. Damascenus lib. 3. cap. 3. & alij Patres praesertim Graeci relati a Ruiz

de Trinit. disp. 32. sect. 6.

Respondeo, quod in aliquo sensu est verum, in alio est falsum. Primo igitur falsum est naturam ita debere esse logicè vniuersalem, vt eo ipso, quod sit logicè singularis, habeat rationem suppositi. Natura enim diuina est logicè singularis, & tamen non est suppositum secundum se praecise: natura humana Christi est logicè singularis, & non est suppositum. Secundo verum est naturam semper esse vniuersalem, communem, & communicabilem metaphysicè, ac constitutiue, ita vt possit communicari pluribus suppositis simul, aut seorsim. Suppositum è conuerso est aliquid singulare, proprium, & incommunicabile constitutiue, ita vt non possit communicari pluribus suppositis. Patet ex mysterio Trinitatis, & incarnationis. Ex mysterio enim Trinitatis habemus naturam diuinam ita esse logicè singularem, vt sit constitutiue vniuersalis, communis, & communicabilis tribus diuinis personis, seu suppositis, quae per naturam diuinam constituuntur vnus Deus. E conuerso singula diuina supposita sunt ita singularia, vt non possint communicari pluribus suppositis. Pater enim non potest communicari alteri supposito &c. Ex mysterio incarnationis habemus naturam humanam logicè singularem posse assumi simul, aut seorsim, a tribus personis diuinis, & proinde esse constitutiue vniuersalem, & communicabilem quatuor suppositis, seu personis, tribus nimirum personis diuinis, ac personae puri hominis. E conuerso suppositum humanum non potest assumi ab altero supposito, nec illi communicari, ita vt retineat rationem suppositi. Sancti Patres citati loquuti sunt in hoc secundo sensu vero, non autem in primo falso. In eodem secundo sensu dixit Richardus lib. 4. de Trinitate, cap. 3. personam esse singularem, indiuiduam, incommunicabilem substantiam. Est enim substantia, non communicabilis etiam constitutiue pluribus suppositis in sensu explicato, cum natura sit constitutiue communicabilis pluribus suppositis. Suppositum igitur supra naturam constitutiue communicabilem pluribus, addit proprietatem incommunicabilem, ipsam nimirum suppositalitate, & quodlibet suppositum constituitur ex natura pluribus communicabili, & ex suppositalitate incommunicabili.

41. Queritur sexto, vtrum Aristoteles cognouerit distinctionem naturae a supposito?

Respondeo Aristotelem in praedicamentis, & alibi suppositum, seu primam substantiam distinguere a natura, seu secunda substantia, vt singulare, & proprium ab vniuersali, & communi, & ab Aristotele videntur hanc doctrinam hausisse Patres citati. Vtrum haec distinctio sit solum logica, & per nostrum modum intelligenda, an potius secundum rem, Aristoteles non explicauit, nec potuit diuinare; cum distinctio secundum rem innotuerit ex mysterijs Trinitatis, & incarnationis. Idem Ari-

Ariftoteles 7. metaphysic. cap. vltimo videtur docere suppositum supra naturam addere accidentia, & proprietates, per quas vnum indiuiduum discernitur ab alio. Sed loquitur de supposito, & indiuiduo, non secundum se, sed vt à nobis designabili, & discernibili. Non enim possumus vnum indiuiduum designare, ac discernere ab alio, puta Petrum à Paulo, nisi per accidentia. In eodem sensu loquuntur aliqui Patres, quos citat Vasquez 3. p. disp. 3. cap. 3. & in eodem sensu loquitur Sanctus Thomas 3. p. quæst. 2. art. 2. ininuans suppositum supra naturam addere accidentia indiuiduantia.

42. Queritur septimo, vtum S. Thomas existimauerit suppositum supra naturam addere aliquid distinctum secundum rem?

Respondeo affirmatiuè. Probat. Nam 3. p. quæst. 2. art. 2. in corpore ponit hoc principium: in ijs, in quibus naturæ specificæ nihil addi potest distinctum secundum rem, suppositum non potest addere aliquid secundum rem distinctum à natura: in ijs autem, in quibus naturæ specificæ potest addi aliquid distinctum secundum rem, puta accidentia, & principia indiuiduantia, etiam suppositum addit aliquid distinctum secundum rem à natura; sed in creaturis naturæ specificæ potest addi aliquid distinctum secundum rem, in Deo naturæ diuinæ nihil addi potest realiter distinctum; ergo in creaturis suppositum addit aliquid distinctum secundum rem, non autem in Deo. Quia verò etiam naturæ angelicæ possunt addi accidentia volitionis, intellectiois &c. distincta secundum rem, ideo ex principijs S. Thomæ, supposita etiam, & personæ angelicæ addunt supra naturam aliquid distinctum secundum rem. Confirmatur: nam S. Thomas eadem 3. p. quæst. 4. art. 1. ad 3. docet Deum potuisse assumere naturam angelicam, non assumendo personalitatē, quod esset impossibile, si personalitas supra naturam angelicam nihil adderet distinctum secundum rem.

43. Dices. S. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 3. in corpore docet in substantijs separatis suppositum non differre à natura; sed Angeli sunt substantiæ separate ab omni materia: ergo existimat in Angelis suppositum non differre à natura, ac proinde sibi contradicit.

Respondeo, quod quia S. Thomas in primis quæstionibus primæ partis agit de Deo, vt vno philosophicè, & per principia merè naturalia, abstrahendo à supernaturalibus mysterijs Trinitatis, & incarnationis, docet in substantijs separatis suppositum non distingui à natura illa distinctione, de qua sola philosophi egerunt; sed philosophi existimarunt suppositum supra naturam addere solam singularitatem, qua natura constituatur singularis, & hæc numero: ergo S. Thomas negauit solum in Angelis distinctionem realem naturæ à singularitate, ac docuit naturam Angelicam non constitui singularem, & hanc

numero per aliquid distinctum secundum rem. At 3. p. agens de mysterio incarnationis per principia super naturalia, docet supposita angelica supra naturam singularem addere aliquid realiter distinctum. Caietanus in Commentario affert aliam solutionem satis obscuram.

44. Queritur octauo, vtum Sanctus Thomas putauerit id, quod in creatis suppositum addit supra naturam, esse positium, vel negatiuum?

Respondeo, quod existimauit esse positium. Probat. Nam 3. p. quæst. 2. art. 2. in corpore, docet suppositum significari, vt totum habens naturam vt partem formalem, & perfectiuiam sui; sed pars formalis, & perfectiua dicitur relatè ad aliam partem: ergo &c. Confirmatur: nam si suppositum supra naturam adderet solam negationem, natura non esset pars perfectiua suppositi; sicut quia homo cæcus supra hominem addit solam negationem, ineptè dicitur, quod homo sit pars perfectiua cæci. Secundo eodem art. in responsione ad 2. docet personalitatem, qua natura per se existit, spectare ad eius dignitatem, & perfectionem. Si autem personalitas adderet solam negationem vnionis, non spectaret ad dignitatem, & perfectionem naturæ. Tertio lib. 4. contra gentes cap. 43. docet, quod si hypostasis humana, non remaneret in natura, in qua assumenda à Verbo præexistisset, hoc sine corruptione accidere non potuisset; nullum enim singulare desinit hoc esse, quod est, nisi per corruptionem; sed si hypostasis supra naturam adderet solam negationem, persona, cuius natura assumeretur à Verbo, desineret esse persona puri hominis sine vlla corruptione, eo pacto, quo quia cæcitas supra hominem addit meram negationem, homo potest desinere esse cæcus sine vlla corruptione; ergo &c. Terria etiam parte, quæst. 4. art. 1. ad 3. concedit, quod Deus non posset assumere naturam Angelicam Angeli præexistentis, sine vlla corruptione, & destructione personalitatis angelicæ; & art. 2. eiusdem quæstionis in responsione ad 3. docet, personam Dei in Christo consumpsisse personam hominis, impediendo, ne humana natura propriam personalitatem haberet.

45. Dices. S. Thomas 1. contra gentes cap. 26. dicit. *Hoc, quod dicitur substantia ens per se, non videtur importare, nisi negationem tantum*; ergo S. Thomas existimat pericitatem supra naturam addere puram negationem.

Respondeo, distinguo consequens; existimat pericitatem formalem, quæ supponit substantiam iam constitutam in ratione substantiæ, addere meram negationem, transeat pericitatem fundamentalem, qua substantia constituitur formaliter in ratione substantiæ, nego consequentiam. S. Thomas, postquam dixit ens per se importare negationem tantum, statim subiungit substantiam non con-

stitui in ratione substantiæ per talem negationem, sed per esse positium; quod est fundamentum talis negationis, dicens. *Dicitur enim ens per se ex hoc, quod non sit in alio, quod est negatio pura, quæ non potest naturam, vel rationem generis constituere; quia sic genus non diceret, quid est res, sed quid non est. Oportet igitur, quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo, quod substantia sit res, cui conueniat esse non in subiecto &c.* Hactenus S. Thomas; ergo S. Thomas existimat impossibile, vt substantia constituatur formaliter in ratione substantiæ per negationem, ac docet constitui formaliter in ratione substantiæ per hoc, quod habeat modum essendi positium, ex quo sequatur negatio; sed suppositum vt suppositum est substantia, imò est prima substantia; ergo suppositum non potest constitui formaliter per negationem, sed per modum essendi positium, ex quo sequatur negatio; ergo S. Thomas non solum non docet suppositum, seu primam substantiam constitui per negationem, sed probat id esse impossibile eo ipso argumento, quod nos adduximus vt secundum fundamentum nostræ conclusionis. Confirmatur. Nam cum S. Thomas dicat vniuersaliter ens per se addere negationem, sequeretur, quod etiam personæ diuinæ supra naturam diuinam adderent negationem, quod aduersarij non admittunt; ergo etiam aduersarij tenentur respondere auctoritati allatæ, & illam explicare.

45. Opponitur alia autoritas S. Thomæ, quæ afferetur, & soluetur in responsione ad 5.

47. Ad 1. patet ex dictis. Explicatum enim est, quid addat suppositum supra naturam.

48. Ad 2. nego minorem, ac dico naturam per se subsistere, non per puram negationem vnionis, sed per hoc, quod vltimo perficiatur, & terminetur in ratione substantiæ.

49. Ad 3. nego minorem, ac dico, quod illud positium, quod suppositum addit supra naturam, præstat effectum formalem constituendi substantiam vltimo perfectam, completam, & terminatam in ratione substantiæ, quem effectum formalem præstare non potest pura negatio, neque accidens.

50. Ad 4. nego mysterium incarnationis æquè bene explicari, dicendo suppositum supra naturam addere meram negationem. Primo enim, vt dictum est in quarto fundamento, asserendo suppositum addere puram negationem, non satis explicatur, quo pacto ex Verbo, & natura humana fiat ens substantiale per se vnum, & quo pacto Christus sit substantia per se vna. Secundo vt dictum est in quinto fundamento, non satis explicatur, quo pacto humanitas Christi subsistat per subsistentiam positiam, & increatam Verbi, & quo pacto personalitas Verbi suppleat personalitatem creatam. Tertio vt dictum est in sexto fundamento, non satis explicatur, quo

pacto natura diuina per se subsistat in Patre, & Filio. Quæstionibus sequentibus afferentur alia, quæ melius explicantur in sententia nostra, quam in sententia opposita.

51. Ad 5. distinguo maiorem: Verbum non assumpsisset totam nostram substantiam; in quantum substantia sumitur pro natura, & essentia; nego: in quantum sumitur pro supposito, hypostasi, ac persona, concedo: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. In eodem sensu cum agitur de incarnatione, dicitur Verbum assumpsisse totam nostram substantiam, in quo cum agitur de Trinitate, Pater dicitur dare filio totam suam substantiam; sed Pater dat Filio totam suam substantiam, in quantum substantia sumitur pro natura, & essentia; non autem in quantum sumitur pro hypostasi, & persona: nam Pater non dat Filio paternitatem, seu personalitatem Patris; ergo Verbum assumpsit totam nostram substantiam, in quantum substantia sumitur pro essentia, & natura humana, non autem in quantum sumitur pro hypostasi, & persona, ac proinde non assumpsit personalitatem substantialem hominis. Quod non fuit assumptum ex ijs, quæ spectant ad naturam, non fuit curatum: at quod non fuit assumptum ex ijs, quæ spectant ad personam, fuit curatum consequenter, curata tota natura assumpta. Ratio est, quia sicut Adam peccando infecit totam naturam humanam, eamque reddidit infirmam, ac personæ, quæ nascuntur ex Adamo, nascuntur infirmæ, & peccatrices, quia accipiunt ab Adamo naturam infirmam, & peccato infectam, sit Christus assumendo totam naturam, totam curauit, & curata natura, curantur personæ.

52. Dices. S. Thomas 3. p. quæst. 2. art. 2. cum in secundo argumento obiecit sibi. *Damasceus lib. 3. cap. 6. dicit, quod filius Dei assumpsit ea, quæ in natura nostra plantauit: plantauit autem ibi personalitatem; ergo personam assumpsit: respondet per hæc verba: Ad 2. dicendum, quod natura assumpta non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, sed propter additionem alicuius, quod est vnio ad diuinam personam; ergo Sanctus Thomas docet, quod licet personalitas non fuerit assumpta, tamen fuit assumptum quicquid fuerat in natura plantatum, seu productum, & vt hoc explicet, docet personalitatem supra naturam non addere aliquid positium plantatum, ac productum in natura sed addere puram negationem, quæ proinde non fuit plantata, neque producta in natura.*

Respondeo non hunc esse sensum S. Thomæ, sed sensum esse, quod naturæ assumptæ desit propria personalitas propter additionem vnionis, quæ est supra naturam, non propter defectum alicuius, quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, vt constitutum naturæ in ratione naturæ perfectæ; ergo licet naturæ assumptæ desit propria personalitas, tamen Filius Dei assumpsit quicquid in natura

nostra plantabit, vt constitutiua naturæ in ratione naturæ, licet non assumpserit personalitatem, quam in natura plantauit, non vt constitutiua naturæ, sed vt constitutiua suppositi, & personæ. Dicitur nimirum illud Damasceni: *Filius Dei assumpsit quicquid in natura plantauit*, debet intelligi de ijs, quæ plantauit, vt constitutiua naturæ, non de ijs, quæ plantauit vt constitutiua suppositi, ac Personæ.

53. Ad 6. nego sequelam. Ad probationem, distingo maiorem: quod caret aliqua perfectione substantiali sibi naturaliter debita, carentia perfectè compensata, cum infinito excessu, est in statu violento, nego; carentia non perfectè compensata, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quod caret perfectione naturaliter debita carentia perfectè compensata cum infinito excessu, non est in statu violento; sed humanitas Christi caret propria personalitate carentia perfectè compensata cum infinito excessu per personalitatem Verbi; ergo non est in statu violento. Adde appetitum naturalem, quo humanitas appetit propriam personalitatem, expleri, & superexpleri per personalitatem Verbi. Humanitas enim appetit propriam personalitatem sub ratione communi personalitatis perficientis in certo gradu, non excludendo personalitates meliores, quæ contineant adæquate illum gradum cum excessu; sed personalitas Verbi continet adæquate totam perfectionem personalitatis creatæ cum infinito excessu; ergo appetitur ab humanitate secundum rationem communem personalitatis perficientis illam in certo gradu, ac proinde personalitas Verbi quoad aliquam rationem communem est iuxta appetitum humanitatis, eumque explet, licet secundum rationem differentialem infinite excedat appetitum humanitatis.

QVAESTIO XXII.

Vtrum unio Verbi incarnati facta fuerit in natura?

S. Th. quest. 2. art. 1.

1. Videtur facta fuisse in natura, itaut ex natura diuina, & humana facta fuerit vna tertia natura Christi; primo quia si in Christo essent duæ naturæ, essent duo Christi, & non vnus Christus: sicut quia in Trinitate est vna tantum natura diuina, est vnus tantum Deus, & non tres Dij.

2. Secundo sicut Ioan. 2. dicitur aqua facta esse vinum, sic Ioan. 1. dicitur. *Verbum caro factum est*; sed aqua facta est vinum per hoc, quod fuerit conuersa in vinum; ergo Verbum factum est caro per hoc, quod conuersum fuerit in carnem.

3. Tertio in symbolo Athanasij dicitur;

sicut anima rationalis; & caro vnus est homo, sic Deus, & homo vnus est Christus; sed ex anima rationali, & ex carne fit vna natura hominis; ergo ex Verbo, & homine facta est vna natura Christi.

4. Respondeo de fide esse contra Eutyrianos per vnionem Verbi incarnati ex natura diuina, & humana non factam fuisse vnã tertiam naturam, adeoque talem vnionem, non factam fuisse in natura. Hæc veritas colligitur ex Scripturis allatis à Bellarmino lib. 3. de Christo, cap. 3, ac definita est in Concilio Chalcedonensi, act. 1. & 5. in quinta Synodo generali, Can. 2. & 6. in sexta Synodo, act. 4. & 17. in Concilio Lateranensi sub Martino primo, consultatione vltima, can. 4. & 6. in Concilio Toletano sexto, Cap. 1. Toletano vndecimo, cap. 5. & 6. in Hispalensi secundo, cap. 13. & in alijs Concilijs. Theodoretus dialogo *immutabilis*, dialogo *inconfusus*, & dialogo *impassibilis* contra errorem Eutyrianorum affert testimonia penè omnium veterum, qui fuerunt ante ipsum. Plura etiam Patrum testimonia afferunt S. Leo epist. 97. ad Leonem Augustum, Vigilii lib. 5. contra Eutychem, Gelasius lib. 2. de duabus naturis, & Concilium Hispalense secundum, capite vltimo.

5. Probat eadem veritas ratione. Nam si ex duabus naturis, diuina, & humana, facta fuisset vna tertia natura, vel facta fuisset per mixtionem, qua vtraque natura conuersa fuisset in vnã tertiam; vel per conuersionem, qua vna natura conuersa fuisset in aliam; vel per compositionem, qua ex vtraque remanente facta fuisset vna natura composita: nullum ex his dici potest; ergo. Probat prima pars minoris. Nam natura diuina, cum sit ingenerabilis, & incorruptibilis, non potuit conuerti in aliam naturam; siquidem quod in aliud conuertitur, corrumpitur, ac post conuersionem non remanet. Confirmatur: nam sicut cum elementa per mixtionem conuertuntur in mixtum, mixtum non est vllum ex elementis, ex. gr. lignum neque est terra, neque aqua, neque aer, neque ignis, sic Christus neque esset Deus, neque homo.

6. Probat secunda pars. Nam natura diuina, cum sit incorruptibilis, non potuit conuerti in humanam. Si autem dicatur naturam humanam conuersam fuisse in diuinam; ergo Christus haberet solum naturam diuinam, ac esset Deus tantum, non autem homo, nec haberet naturam carnis. Rursus passus fuisset, & mortuus secundum naturam diuinam, quod repugnat diuinæ immortalitati, & impassibilitati.

7. Probat tertia pars. Nam primò duæ naturæ completæ, ac perfectæ in suo genere, ac remanentes, non possunt per se vniri in vnã tertiam naturam: ex. gr. natura hominis, & Angeli, quia sunt duæ naturæ perfectæ, & completæ, non possunt per se vniri in vnã tertiam naturam; sed tum natura diuina, tum humana est completa in suo genere; ergo non possunt per se vniri in vnã tertiam naturam

ac proinde vnirentur solum per accidens, quod spectat ad errorem Nestorianum, quem Eutyriani maxime volebant vitare. Secundo quandoquidem natura est principium motus, & quietis in eo, in quo est, vt docet Aristoteles 2. Physicorum, ad hoc, vt duæ naturæ vniantur in vnâ tertiam naturam, debent ita vniri, vt constituant vnum subiectum commune alicuius passionis, vel actionis immanentis, eo pacto, quo anima, & corpus vnuntur in vnâ tertiam naturam, quia constituunt vnum subiectum commune actuum immanentium sentiendi, videndi &c. sed natura diuina non potest vniri vlli alteri naturæ, itaut sit subiectum commune vllius passionis, vel actionis immanentis communis; siquidem propter suam summam simplicitatem non potest esse subiectum vllius actionis, quæ in ipsa recipiatur; ergo &c. Hæc secunda ratio probat vniuersaliter naturam diuinam non posse vniri cum alia natura etiam incompleta, vnione, qua constituat cum illa vnâ tertiam naturam.

8. Ad 1. nego sequelam, Nomina concreta non multiplicantur, ac non dicuntur pluraliter, nisi multiplicentur supposita, & si concreta sunt substantia, & multiplicentur, debent multiplicari, non solum supposita, sed etiam formæ significatæ. Hoc posito, in Trinitate concretum *Deus* non multiplicatur, sed vnus est *Deus*, non autem tres *Dij*, quia licet sint tria supposita Deitatis, tamen est vna Deitas tantum, quæ est forma significata per nomen *Deus*. In Christo est vnus tantum Christus, quia licet sint duæ naturæ, quæ sunt formæ significatæ per nomen *Christus*, tamen est vnum tantum suppositum habens vtramque naturam. Confirmatur: nam si vna persona habeat duas artes, non est duo artifices, sed vnus artifex habens duas artes; ergo à pari.

9. Aduertit S. Thomas hic quæst. 2. art. 3. ad 1. ex Nazianzeno in epist. ad Celidonium, quod *aliud*, & *aliud* neutraliter significant distinctionem naturarum, *alius*, & *alius* masculinè distinctionem personarum, seu suppositorum. Ratio est, quia nomen masculinum comparatur ad neutrum, sicut determinatum ad indeterminatum, & commune; sed etiam suppositum comparatur ad naturam, sicut ens determinatum ad indeterminatum, & commune; ergo non est mirum, quod masculinum significet suppositum, neutrum significet naturam. Hinc sequitur, quod in Trinitate alius est Pater, alius Filius, propter distinctionem personarum; sed non aliud est Pater, aliud Filius, propter identitatem naturæ, sed Pater, & Filius vnum sunt. In Christo è conuerso non alius est *Deus*, alius homo, nec alius Filius Dei, alius filius hominis propter identitatem personæ, sed aliud est *Deus*, aliud homo, propter distinctionem naturarum. Licet autem S. Bonaventura in 3. distinct. 6. quæstione 1. & ipse S. Thomas ibidem negauerint

Christum esse aliud, & aliud, tamen S. Thomas iam senior, & doctior hic 3. p. loco citato concedit Christum esse aliud, & aliud, quia id concedunt SS. Patres, nimirum Nazianzenus epist. citata, Ambrosius de incarnatione, cap. 6. Augustinus in Enchiridio, cap. 25. & tract. 69. in Ioan. & lib. contra Felicianum Arrianum cap. 11. Leo magnus epist. 10. ad Flavianum, Vincentius Lirinensis in suo commentario, & alij quos sequutus est etiam Durandus in 3. dist. 6. quæst. 1.

10. Ad 2. Cum dicitur, vnum fieri aliud, non semper significatur vnum conuerti in aliud; ex. gr. cum Genesios dicitur, *Filius est homo in animam viuentem*, non significatur homo conuersus fuisse in animam viuentem, sed accepisse animam, qua viueret; ergo non est mirum, quod licet aqua dicatur facta vinum, quia conuersa est in vinum, tamen cum dicitur *Verbum factum caro*, non significetur Verbum fuisse conuersum in carnem, sed assumpsisse carnem, & naturam humanam, qua esset homo. Ideo, vt notat Theodoretus dialogo *immutabilis*, Ioannes cum dixisset *Verbum caro factum est*, subiunxit, & *habitauit in nobis*, ad significandum, quod Verbum ita factum est caro, vt non conuersum fuerit in carnem, sed remanserit, & habitauerit in carne, quam assumpsit. Ideo etiam Scripturæ sæpè incarnationem exprimentur nomine assumptionis, vt cum ad Philipp. 2. dicitur, *Formam serui accipiens*; ad hebræos 2. *Semen Abrahe apprehendit*.

11. Ad 3. Vt docent Iustinus Martyr. lib. de verâ fidei confessione, Augustinus epist. 3. ad Volusianum, Leo epist. 10. ad Flavianum, & alij Patres, exemplum animæ, & carnis affertur ad explicandum, quod sicut homo est vnum suppositum habens carnem, & animam; sic Christus est vnum suppositum, habens naturam diuinam, & humanam, non autem ad significandum, quod sicut ex anima & carne fit vna natura humana, sic ex natura diuina, & humana fiat vna tertia natura Christi. Ad exemplum nimirum non requiritur, vt sit simile in omnibus.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in persona, & hypostasi, seu supposito, & verum sit substantialis, vel accidentalis?

S. Thomas quæst. 2. art. 2. 3. 5. & 6.

1. **V**idetur vnio Verbi incarnati non fuisse facta in persona, itaut sit vna tantum persona habens vtramque naturam. Humanitas enim Christi habet omnia, quæ spectant ad dignitatem naturæ humanæ; sed personalitas propria spectat ad dignitatem naturæ humanæ; ergo humanitas Christi habet propriam

priam personalitatem; ergo in Christo sunt duæ personalitates, ac duæ personæ, ac proinde non est facta vnio in persona, itaut sit vna tantum persona.

2. Secundo videtur humanitas solum accidentaliter fuisse vnita Filio Dei. Dicit enim Apostolus ad Philippenses 2. de filio Dei, quod habitus est inuentus vt homo: sed habitus vnitur solū accidentaliter ei, qui induitur tali habitu: ergo &c.

3. Tertio omne, quod vnitur alteri substantialiter completo, vnitur solum accidentaliter: sed natura humana vnita est filio Dei, qui substantialiter est completissimus: ergo &c.

4. Quarto quod ita vnitur alteri, vt non spectet ad naturam, & essentiam illius, vnitur illi accidentaliter; sed natura humana non spectat ad essentiam, & naturam Verbi, cum non sit Verbo vnita in natura: ergo &c.

5. Quinto instrumentum solum accidentaliter vnitur ei, cuius est instrumentum; sed humana natura in Christo est instrumentum Verbi, vt docet Damascenus, lib. 3. de fide, cap. 15. ergo &c.

6. Respondeo plures modos vnionis posse excogitari, quibus natura humana dicatur vnita Filio Dei. Primus modus est vnionis in persona simul, & natura: & hanc vnionem posuerunt Eutychiiani, quos reiecit quæst. 22. Secundus modus vnionis est neque substantialiter in persona, neque in natura, sed purè accidentalis, itaut post vnionem remaneant duæ naturæ, ac duæ personæ accidentaliter vnite: & hunc modum vnionis posuerunt Nestoriani. Docuerunt enim aliam esse personam filij Dei, aliam personam filij Virginis, quæ personæ sibi inuicem sint vnite, primo per inhabitationem, in quantum Filius Dei habitauit in Filio virginis, sicut in templo; secundo per vnitatem affectus, in quantum voluntas filij Virginis fuit semper conformis voluntati filij Dei; tertio per operationem, in quantum filius Dei operatus est miracula, &c. per filium virginis, tanquam per instrumentum; quarto per dignitatem honoris, in quantum omnis honor, qui exhibetur filio Dei, exhibetur simul filio Virginis; quinto secundum æquiuocationem, vel communicationem nominum, in quantum filium Virginis, vocamus filium Dei. Et quia omnes isti modi important vnionem purè accidentalem, ideo Nestoriani docuerunt naturam humanam vnitam fuisse Verbo solum accidentaliter. Tertius modus est quorundam, qui vt refert Magister in 3. dist. 6. & S. Thomas hic quæst. 2. art. 3. & 6. dixerunt naturam humanam vnitam fuisse Verbo diuino in persona, non autem in hypostasi, seu supposito, ac proinde docuerunt in Christo esse vnā tantum personam, duas autem hypostasēs, seu duo supposita, & hanc sententiam Magister non reiecit. Sed vt notat Sanctus Thomas hæc sententia est hæretica, & ab antiquis conciliis damnata, & auctores illius putantes se vitare hæresim Nestorianam, in illam incide-

runt. Persona enim nihil aliud est, quam hypostasis, seu suppositum naturæ rationalis completæ; sed isti auctores posuerunt in Christo duas hypostasēs, & duo supposita naturæ rationalis completæ, diuinæ nimirum, & humanæ; ergo re ipsa posuerunt in Christo cū Nestorianis duas personas. Quartus modus est quorundam, qui vt referunt idē Magister, & S. Thomas locis citatis, dixerunt animam Christi non esse vnitam corpori, sed animam, & corpus accidentaliter vniri Filio Dei, ac proinde vnā tantum esse in Christo personalitatem, & vnum suppositum, siquidem anima, & corpus, si non sint simul vnita, non habent rationem personæ, neque suppositi. Sed etiam isti auctores, licet à Magistro non reijciantur, vt notat S. Thomas, inciderunt in hæresim Nestorianam, in quantum dixerunt animam, & corpus vniri Verbo solū accidentaliter, eo pacto, quo indumentum vnitur corpori; & præterea addiderunt aliam hæresim. Hæresis enim est Verbum assumpsisse corpus non vnitam animæ; siquidem in sexta Synodo definitur can. 4. Verbum assumpsisse carnem animatam anima rationali: caro autem animata est caro vnita animæ. Sequeretur etiam Verbum non assumpsisse veram, & perfectam naturam humanam, quæ includit animam vnitam corpori; ac sequeretur Christum non fuisse mortuum, cum non potuerit mori sine separatione animæ à corpore, cui prius fuisset vnita. Quintus modus inter istos medius est, vt vnio non sit accidentalis, sed substantialis, non quidem in natura, sed in persona, supposito, & hypostasi, ita vt vna sit persona, vna hypostasis, vnum suppositum filij Dei, cui supposito substantialiter sit vnita natura humana perfecta, & integra, constans ex corpore, & anima rationali simul vnitis. Et hunc modum vnionis docet catholica fides. Talis vnio vocatur hypostatica, quia per illam naturam humanam vnitur filio Dei in vnitate hypostasis, suppositi, ac personæ, retenta distinctione, & inconfusione duarum naturarum.

7. Hæc veritas fidei colligitur ex Scriptura, in qua Christus dicitur esse filius Dei, & filius hominis, Deus, & homo, eidemque tribuuntur, quæ propria sunt Dei, & quæ propria sunt hominis. Matthæi enim 6. Petrus interrogatus à Christo, quem dicunt homines esse filium hominis? respondit: Tu es Christus filius Dei viui, asserens eundem Christum esse filium Dei, & filium hominis. Ioan. 9. Christus dixit cæco paulo ante illuminato: credis in filium Dei? respondit ille: Quis est Domine, vt credam in eum? Dixit ei Iesus. Et vidi disti, & qui loquitur tecum ipse est: ergo Christus docuit illum eundem, qui videbatur, & loquebatur vt homo, esse filium Dei. Ioann. 20. Thomas de eo, cuius vulnera viderat, & fortasse tetigerat, dixit, Dominus meus, & Deus meus. Ideo Ioannes epist. 1. cap. 4. de ijs, qui Christum diuidebant in duas

duas personas, dixit: *Qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*. Videri possunt alia loca Scripturarum apud Bellarminum lib. 3. de Christo, cap. 6. vbi affert etiam plures Patres.

8. Definita fuit hæc veritas in toto Concilio Ephesino, in quo etiam referuntur, & approbantur duodecim canones Cyrilli, & Concilij Alexandrini, in quibus anathemate damnantur, qui dixerint in Christo esse duas personas, vel duas hypostasies. Definita fuit rursus in Concilio Chalcedonenfi act. 8. in quinta synodo generali, can. 4. & 5. in sexta synodo, act. 4. in Concilio Hispalensi secundo, cap. 1. in Toletano 6. cap. vltimo, & in pluribus alijs Concilijs. Eadem veritas traditur satis expressè in omnibus symbolis. Nam in symbolo Apostolorum profiteamur nos credere in Iesum Christum filium Dei unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine &c. ergo profiteamur nos credere, eundem filium Dei conceptum, & natum esse ex Maria Virgine, passum, mortuum &c. Eandem fidem, profiteamur in symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, qui legitur in missa, & in symbolo Athanasij adhuc expressius dicimus, *qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitæ Personæ*. Ideo Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Monachos Ægypti, quam scripsit sub initium hæresis Nestorianæ, ad illam confutandam vsus est auctoritate Concilij Nicæni, & Damasceni lib. de fide, cap. 3. 4. & 5. dicit: *In Domino Iesu Christo duas naturas agnoscimus, vnã autem hypostasim*.

9. Sed quæritur, quid sit, naturam humanam vnitam fuisse Verbo hypostaticè, hoc est in hypostasi, & persona. Dicendum, quod est, naturam humanam ita fuisse vnitam Verbo, vt subsistat, non per propriam, & creatam subsistentiam, ac personalitatem, sed per subsistentiam, ac personalitatem increatam Verbi. Proportionaliter Verbum assumpsisse, ac sibi vnuisse naturam humanam in persona, & hypostasi est, Verbum communicasse naturam humanam subsistentiam, & personalitatem increatam propriam Verbi, ita vt per illam subsistat vtraque natura, diuina quidem ab æterno, humana autem à tempore incarnationis. Sicut igitur mysterium Trinitatis consistit in hoc, vt tres Personæ sint vnus Deus, per vnã naturam diuinam, sic mysterium incarnationis consistit in hoc, vt duæ naturæ, diuina, & humana, subsistant per vnã subsistentiam, & personalitatem, & sic vniantur in vnã persona, & hypostasi.

10. Inferitur falsam esse sententiam Scoti in 3. distinct. 1. quæst. 1. & Durandi eadem distinct. quæst. 1. qui dixerunt humanitatem Christi vniri Verbo, & esse in Verbo ad modum accidentis. Explicatur. Sicut natura

accidentalis exigit esse in subiecto per inherentiã, sic natura substantialis completa exigit subsistere; ergo sicut accidentia Eucharistica, quia supernaturaliter non sunt in subiecto per inherentiã, sed sunt per se, existunt ad modum substantiæ, sic humanitas Christi, quia non subsistit, sed est in Verbo, existit ad modum accidentis. Adduat, quod accidens, & informat subiectum, & ab illo pendet. Humanitas autem Christi ita est in Verbo, vt ab eo solum pendeat, non autem illud informet, & sic est ad modum accidentis quoad dependentiam, non quoad informationem.

11. Reijcitur hæc opinio. Accidens enim ita est in subiecto, vt non subsistat per subsistentiam talis subiecti; sed humanitas Christi ita est in Verbo, vt subsistat per subsistentiam Verbi: ergo existit, non ad modum accidentis, sed ad modum substantiæ. Ideo vt docet Caietanus 3. parte quæst. 2. art. 6. ad 3. accidentia vniantur quidem hypostasi, siue personæ, sed non vniantur secundum hypostasim, seu personam: ex. gr. accidentia Petri vniantur quidem personæ, & hypostati Petri, sed non vniantur secundum hypostasim, seu personam, quia non subsistunt per subsistentiam, & personalitatem Petri. At humanitas Christi non solum vnitur personæ, & hypostasi Verbi, sed illi vnitur secundum hypostasim, & personam, ita vt subsistat per increatam subsistentiam, hypostasim, & personalitatem Verbi. Quod autem humanitas Christi non sit insubsistens, sed subsistens per subsistentiam Verbi, probatur auctoritate secundi Concilij Hispalensis, & Damasceni. Concilium enim Hispalense secundum can. 13. dicit. *Probatur veteris, & noui Testamenti testimonijs veritas, in quibus duæ naturæ Christi patefactæ sunt in vna subsistente persona*. Damascenus lib. 3. de fide, cap. 9. dicit. *Sed non est necessè naturis inuicem secundum hypostasim coniunctis, vt vnaquæque propriam habeat hypostasim. Nam fieri potest, vt in vnã conueniant hypostasim, neque eas insubsistentes esse, neque vnãquamque propriam retinere hypostasim, sed vnã, eandemque hypostasim habere vtramque. Namque ipsius Verbi hypostasis vtriusque naturarum hypostasis existens, nullam insubsistentem esse permittit*.

12. Dices primo: si natura humana subsisteret per subsistentiam, & personalitatem Verbi, natura humana esset persona per personalitatem, & subsistentiam Verbi: ergo daretur in Christo persona creata, licet subsistens personalitate, & subsistentia increata.

Respondeo, negando sequelam. Ad suppositum enim, & personam non sufficit, vt sit ens subsistens, sed requiritur, vt sit ens per se subsistens primo, vt dictum est quæstione 21. sed humanitas Christi, licet subsistat per personalitatem Verbi, tamen neque per se subsistit, neque subsistit primo: ergo non

non est suppositum, neque persona. Probat-
tur minor. Quod enim subsistit vt vnitum
alteri digniori, perfectiori, & prius subsi-
stenti, non subsistit per se, sed in alio, neque
subsistit primo, sed secundo; sed humanitas
Christi subsistit, vt vnita Verbo digniori, &
perfectiori, ac prius subsistenti: ergo subsistit,
non per se, & primo, sed in alio, & secundo.
Videri potest S. Thomas quæst. 2. art. 2. ad 3.
Aliqui dicunt, quod sicut in Trinitate singu-
laræ tres Personæ diuinæ sunt Deus, & tamen
non sunt tres Dij, sed vnus Deus; quia sunt
Deus per vnam Deitatem, sic in Christo licet
cum natura diuina, tum humana, in quantum
subsistunt, sint persona, tamen non sunt duæ
personæ, sed vna persona; quia sunt persona
per vnam personalitatem: persona verò vt
dicatur pluraliter, debet multiplicari perso-
nalitas, quæ nomine personæ significatur vt
forma. Sed non placet hæc doctrina. Nam
in Christo non solum non dantur duæ per-
sonæ, sed solum Verbum increatum habet
rationem personæ, ac dicitur persona; nul-
lum autem creatum dicitur persona, vel ha-
bet rationem personæ: ergo natura humana,
vtpotè creata, non habet rationem personæ,
quia licet subsistat, non per se subsistit primo,
vt explicatum est.

13. Dices secundo: omne totum substan-
tiale per se vnum, ac per se subsistens primo,
& habens naturam rationalem completam,
est suppositum, & persona: sed aggregatum
ex Verbo, & humanitate vnitis est ens sub-
stantiale per se vnum, ac per se subsistens
primo, & habens duas naturas rationales
completas, diuinam, & humanam: ergo tale
aggregatum est suppositum, & persona;
sed etiam Verbum inclusum in tali aggrega-
to, in quantum est aliquid purè increatum,
est suppositum, & persona: neque enim
Verbum increatum per vnionem amisit ra-
tionem personæ: ergo in Christo sunt duæ
personæ inadæquatè distinctæ, altera purè
increata, hoc est ipsum Verbum, altera par-
tim creata, partim increata, nimirum ag-
gregatum ex Verbo, & humanitate simul
vnitis.

Respondeo, concedo maiorem, ac ne-
go minorem. Aggregatum ex Verbo, & hu-
manitate vnitis non est per se subsistens pri-
mo. Ratio est, quia illud, quod includit, &
supponit aliud prius per se subsistens, non
subsistit primo; sed aggregatum supponit, &
includit Verbum prius per se subsistens, &
per vnionem communicans suam subsisten-
tiam, tum humanitati, tum aggregato; ergo
aggregatum non subsistit primo, sed secun-
do, ac proinde non est suppositum, neque
persona, ad quam requiritur, vt per se sub-
sistat primo, ita vt neque sit in alio prius
subsistente, neque includat aliud prius per se
subsistens. Hinc concluditur in Christo so-
lum Verbum increatum habere rationem
personæ, & suppositi, naturam humanam, &

aggregatum ex Verbo, & natura humana
non habere rationem suppositi, & personæ.

14. Dices tertio: quod est in alio, tan-
quam in toto substantiali per se vno, non ha-
bet rationem suppositi, & personæ: ex. gr.
medietas oceani non est suppositum, quia
est in oceano, tanquam in toto substantiali
per se vno; sed Verbum diuinum est in ag-
gregato, tanquam in toto substantiali per se
vno: ergo &c.

Respondeo, distingo maiorem: quod
est in alio toto, tanquam pars perfectibilis,
concedo: tanquam totum prius, & dignius,
nego: distingo eodem pacto minorem; &
nego consequentiam. Medietas oceani non
est suppositum, quia est in oceano, tanquam
pars perfectibilis per aliam partem. At
Verbum diuinum est in aggregato, non vt
pars perfectibilis, sed vt totum dignius per se
subsistens primo, & communicans aggrega-
to suam subsistentiam, & perfectionem.

15. Dices quarto: de ratione suppositi est,
vt sit incommunicabile, vel saltem vt actu
non communicetur alteri toti substantiali per
se vni: sed Verbum est communicabile, &
actu communicatur aggregato: ergo Verbum
in Christo non retinet rationem suppositi.

Respondeo, distingo maiorem: de ra-
tione suppositi est, vt sit incommunicabile,
vel actu non communicetur alteri toti, ad
modum partis perfectibilis, concedo; ad mo-
dum totius purè perfectiui, nego.

16. Infertur duas creaturas non posse vni-
ri vnione omnino simili vnioni hypostati-
cæ, iuxta illud Augustini epist. 3. ad Volusia-
num: *Hic si ratio queritur, non erit mirabile, si
exemplum, non erit singulare.* Ratio est, quia
Verbum ita vnitur per se, & substantialiter hu-
manæ naturæ, vt sit in aggregato per se vno,
non tanquam pars in toto digniori, sed tan-
quam totum dignius, & prius subsistens in
toto minus digno, & posterius subsistente,
adeoque vt retineat rationem suppositi, &
personæ; sed quælibet creatura eo ipso, quod
vnitur substantialiter alteri, est in aggrega-
to, tanquam pars in toto digniori, ac proinde
non retinet rationem suppositi: ergo &c. Ra-
tio, quare Verbum sit totum dignius aggrega-
to, nulla autem creatura possit esse totum di-
gnius aggregato, est, quia Verbum continet
eminenter omnes perfectiones aggregati, se-
clusis imperfectionibus; aggregatum autem
continet easdem perfectiones, adiunctis im-
perfectionibus naturæ humanæ; sed quod
continet eminenter omnes perfectiones, se-
clusis imperfectionibus, est simpliciter perfe-
ctius eo, quod continet easdem perfectiones,
adiunctis imperfectionibus: ergo Verbum se-
cundum se est simpliciter perfectius aggrega-
to: sed nulla creatura potest eminenter con-
tinere omnes perfectiones aggregati, seclusis
imperfectionibus: ergo quælibet creatura, eo
ipso, quod est in alio toto per se vno, est in-
eo, tanquam pars in toto digniori, ac proin-
de

dè non retinet rationem suppositi. Hinc sequitur vnionem, qua ramus inseritur arbori, non esse omninò similem vnioni hypostaticæ humanitatis cum Verbo. Si enim ramus ita inseritur, vt faciat vnum cum arbore, eo ipso suppositum est totum constans ex arbore, & ramo inserto, arbor autem, quæ erat ante, non retinet rationem suppositi, cum sit in alio toto digniori. At per vnionem hypostaticam Verbum retinet rationem suppositi, vt explicatum est.

17. Sed quæres, vtrum posset natura humana ex. gr. vniri Angelo, itaut subsisteret per substantiam propriam Angeli?

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia ideo substantia diuina potest communicari alteri naturæ, illamque reddere subsistentem, quia est substantia illimitata, & continens eminenter omnes creatas substantias; sed substantia Angelica est limitata, & non continet eminenter alias substantias creatas: ergo &c. Sicut igitur est proprium naturæ diuinæ propter eius infinitatem, vt possit, ac debeat subsistere per plures substantias trium personarum, sic est proprium diuinæ substantiæ propter eius infinitatem, vt possit communicari pluribus naturis completis, ac reddere illas subsistentes.

18. Quæres vterius, vtrum saltem natura angelica, & humana possent ita vniri, vt subsisterent per substantiam essentialiter communem vtrique naturæ?

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia omnis substantia per se vna est primò, & per se vnus tantum naturæ completæ, licet si sit illimitata, possit etiam communicari alteri naturæ completæ; sed talis substantia non esset primò, & per se vnus tantum naturæ completæ, sed duarum naturarum completarum: siquidem ex natura Angelica, & humana, vt potè completis, non fieret vna tertia natura per se vna; ergo.

19. Ad 1. distinguo maiorem: humanitas Christi habet vel formaliter in se ipsa, vel æquiualeuter in aliquo meliori, omnia, quæ spectant ad dignitatem naturæ humanæ, concedo: in se ipsa formaliter tantum, nego: concedo minorem: & nego consequentiam. Ita spectat ad dignitatem humanæ naturæ per se subsistere per propriam personalitatem, vt multo melius illi sit subsistere in Verbo per personalitatem Verbi: ergo humanitas Christi cum habeat personalitatem Verbi, habet æquiualeuter in ipsa personalitate Verbi dignitatem propriæ personalitatis.

20. Ad 2. Vt docet Damascenus lib. 3. de fide, cap. 26. exemplum debet esse simile, non in omnibus, sed in aliquibus: alioquin non solum esset simile, sed esset idem; ergo ex eo, quod Apostolus dicat de filio Dei, quod habitu inuentus est vt homo, non sequitur, quod natura humana in omnibus assimilaretur habitui, seu vestimento, sed sufficit, vt assimilaretur in aliquibus, licet in alijs non assimilaretur. At-

similatur ergo quoad duo. Primo enim sicut homo vestitus videtur per vestem, sic Filius Dei visus est per humanam naturam. Secundo vt docet Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 73. sicut cum homo induitur, vestimentum mutat figuram, & configuratur figuræ hominis, homo autem non mutat figuram, sic natura humana ita est vnica Verbo, vt ipsa natura humana sit intrinsecè mutata, & perfecta, Verbum autem non est mutatum, neque perfectum. In hoc autem vnio naturæ cum Verbo est dissimilis vnioni vestimenti cum homine, quod vestimentum solum accidentaliter vnitur homini, natura humana substantialiter vnita est Verbo. Addo; quod vt explicant Chrysostomus, Occumenius, & Teophilastus, nomen habitus eo loco non significat vestimentum, sed figuram exteriorum. Græcè enim habetur scema, quod significat figuram, non eodima, quod significat vestimentum. Et sensus est, quod filius Dei, quoad extimam figuram apparuit vt homo de turba, cum non solum esset homo, sed Deus æqualis Patri.

21. Ad 3. distinguo maiorem: quod vnitur alteri substantialiter completo, si etiam ipsum sit substantialiter completum, vnitur illi accidentaliter, concedo: si ipsum sit substantialiter incompletum, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Natura humana est substantialiter incompleta, cum careat complemento substantiali propriæ substantiæ: ergo licet vnatur Verbo substantialiter completo, tamen completur substantialiter per substantiam Verbi, & sic vnitur Verbo, non accidentaliter, sed substantialiter in persona, & hypostasi.

22. Ad 4. distinguo maiorem: quod non spectat ad essentiam, & naturam rei, si neque vnatur rei in hypostasi, vnitur illi accidentaliter, concedo: si vnatur in hypostasi, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quia substantia dicitur dupliciter, natura nimirum, & hypostasis, vt vna substantia vnatur alteri, non accidentaliter, sed substantialiter, sufficit, vt illi vnatur per se, vel in natura, vel in hypostasi: sed natura humana vnatur Verbo in hypostasi, licet non vnatur in natura, vt explicatum est: ergo vnatur Verbo, non accidentaliter, sed substantialiter.

23. Ad 5. Nego quodlibet instrumentum vniri solum accidentaliter ei, cuius est instrumentum. Corpus enim, manus, pedes &c. sunt instrumentum animæ, & tamen vnuntur, non accidentaliter, sed substantialiter animæ. Natura ergo humana, licet sit instrumentum Verbi, tamen non accidentaliter vnatur Verbo, eo pacto, quo gladius, securis &c. accidentaliter vnuntur homini, à quo assumuntur, sed vnatur Verbo substantialiter, cum assumpta fuerit à Verbo in vnitatem hypostasis. Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Monachos Ægypti, negans Verbum assum-

ffice

siße humanitatem vt instrumentum , loquitur de instrumento assumpto merè accidentaliter, non autem substantialiter in vnitatem hypostasis.

QVAESTIO XXIV.

Vtrum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita?

S. Thom. qu. 2. art. 4.

1. **V**idetur non esse composita, & in Christo non dari propria compositio Verbi cum humana natura, nec duarum naturarum inter se: primò, quia quod est summè simplex, neque potest esse compositum ex alijs, neque potest componi cum alijs; sed Verbum est summè simplex: ergo non potest componi cum natura humana.

2. Secundo de ratione compositi est, vt componatur ex pluribus partibus; sed Verbum non potest esse pars; ergo non potest componi cum natura humana.

3. Tertio quicquid componitur ex pluribus, est melius singulis, ex quibus componitur: sed aggregatum ex Verbo, & humanitate non est melius Verbo: ergo &c.

4. Quarto licet in natura diuina sint tres personæ, tamen natura diuina non est composita ex tribus personis; ergo licet in persona Christi sint duæ naturæ, tamen persona Christi non est composita ex duabus naturis.

5. Quinto si persona Christi esset composita ex Verbo, & natura humana, persona Christi esset minus simplex, quam natura humana: siquidem omne compositum est minus simplex singulis, ex quibus componitur.

6. Respondeo cum S. Thoma personam Christi posse considerari dupliciter: primo materialiter, nimirum considerando secundum se præcisè personam Verbi, quæ subsistit in vtraque natura, & si hoc pacto consideretur, persona Christi non est composita, sed est simplicissima, imò est ipsa summa simplicitas. Secundo potest persona Christi considerari formaliter, vt subsistens in vtraque natura, & si consideretur hoc pacto, est composita: siquidem supra Verbum addit compositionem, & vniõnem Verbi cum natura humana, & duarum naturarum in Persona, siue hypostasi Verbi.

7. Quæritur, vtrum Persona Christi, in quantum subsistit in vtraque natura, sit verè, & propriè composita, & vtrum vnio naturæ humanæ cum Verbo, & duarum naturarum in Persona Christi, sit vera, & propria compositio? Negant S. Bonaventura, Scotus, Richardus, & plerique Scholastici, quos refert Vasquez disput. 16. cap. 1. ac negauit etiam Sanctus Thomas in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 3.

8. Dicendum nihilominus cum S. Tho-

Tom. III.

ma, qui hac quæst. 2. art. 4. præsertim propter auctoritatem Conciliorum, & Patrum, sententiam, quam alibi docuerat, retractauit: Persona Christi est verè, & propriè composita, & vnio naturæ humanæ cum Verbo est vera, & propria compositio naturæ humanæ cum Verbo, & duarum naturarum in Persona, siue hypostasi Verbi.

9. Probatum primò ex Concilijs, & Patribus. Nam quinta Synodus generalis, cap. 4. dicit: *confitemur vniõnem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectu, secundum compositionem factam.* Sexta Synodus, act. 4. dicit: *Confitemur Christum ex duabus naturis compositum.* Concilium Lateranense primum sub Martino I. can. 8. dicit: *Si quis non confitetur propriè, & verè secundum compositionem, id est secundum subsistentiam, naturarum vniõnem, ex quibus vnus, & solus existit Christus inconfusè, & indiuisibiliter in eo cognitum, sit condemnatus.* Dionysius cap. 1. de diuinis nominibus dicit: *Ineffabiliter compositus est simplex Iesus,* quibus verbis eundem Christum Iesum vocat simplicem, & compositum, quia materialiter est simplex, formaliter est compositus, vt explicatum est supra. Idem Dionysius cap. 3. de Ecclesiastica hierarchia dicit Christum esse diuini Verbi nostræ humanitatis assumptionem compositum. Damascenus lib. 3. de fide, cap. 17. dicit: *Composita facta est, quæ prius erat simplex, Verbi Dei hypostasis: composita quidem ex duabus perfectis naturis.* Et hoc idem sapientis repetit toto illo libro. Augustinus epist. 3. ad Volusianum, allato exemplo animæ, & corporis, dicit: *In illa Persona mixtura est animæ, & corporis: in hac Persona mixtura est Dei, & hominis.* Nomine autem *mixtura* intelligit compositionem, Idem docent alij Patres, & in edito Iustiniani Imperatoris de fide, quod habetur tom. 2. Conciliorum, Persona Christi vocatur composita, & Incarnatio vocatur compositio.

10. Probatum secundo. Nam omnis vnio, per quam plura realiter distincta ita vniuntur, vt vnum perficiat intrinsecè, præsertim substantialiter alterum, seu mutuo perficiatur, seu non, & per quam conueniunt in vna communi subsistentia, est verissima compositio; sed in Christo Verbum diuinum, & humana natura ita vniuntur, vt Verbum intrinsecè substantialiter perficiat naturam humanam, licet ab ea mutuo non perficiatur, & Verbum, ac natura humana subsistunt vna communi subsistentia; ergo in Christo datur verissima, & substantialis compositio Verbi cum natura humana, & duarum naturarum inter se in vna communi subsistentia Verbi. Hanc veram, & substantialem compositionem ex diuersis principijs erroneis negarunt, tum Eutychni, tum Nestoriani, ac contra, vtrosque docuerunt Concilia, & Patres. Eutychni, qui docuerunt vniõnem factam fuisse per conuersionem, vel vtriusque naturæ in tertiam, vel vnus naturæ in aliam, negarunt in

Christo post unionem remanere duas naturas realiter distinctas, prout ad veram compositionem requiritur. Nestoriani docuerunt Verbum solum accidentaliter, & extrinsecè uniri humanitati, qui modus unionis non sufficit ad veram compositionem, eo pacto, quo unio, qua unitur Deus iustis per gratiam, non sufficit ad compositionem Dei cum iustis. Catholici contra utrosque docuerunt Incarnationem factam esse per veram compositionem secundum substantiam, siue hypostasim, vt explicatum est.

11. Inferitur compositionem Incarnationis esse ineffabilem, ac sine exemplo in creatis, quod sit omninò, & perfectè simile. Est enim compositio, qua duæ naturæ completæ integræ remanentes uniantur ita, vt subsistant vna communi subsistentia, & ita, vt per talem unionem altera natura purè perficiatur, altera per suam subsistentiam purè perficiat; sed in creatis nunquam duæ naturæ completæ per se uniantur, ac præterea quæ per se intrinsecè uniantur, se mutuo perficiunt intrinsecè; ergo &c. Compositio igitur duarum naturarum in Christo non est similis compositioni animæ, & corporis in homine. Compositio enim animæ, & corporis in homine est compositio duarum naturarum incompletarum se mutuo perficientium, & coalescentium in vnam tertiam naturam existentem, & subsistentium vna subsistentia, quæ est æquè propria animæ, & corporis, & est partialis vtriusque. At compositio duarum naturarum in Christo est compositio duarum naturarum completarum, & non coalescentium in vnam tertiam naturam, quarum naturarum altera perficitur purè, altera purè perficit, & quæ naturæ subsistent vna subsistentia, quæ est propria naturæ diuinæ, & ab illa communicatur humanæ, & vtriusque naturæ est adæquata subsistentia. Compositio Verbi cum humanitate non est similis compositioni naturæ humanæ cū propria subsistentia. Nam compositio naturæ humanæ cum propria subsistentia est compositio duorum entium incompletorum, ac se mutuo perficientium. Compositio autem Verbi cum humanitate est compositio Verbi, quod est completum, & purè perficiens, cum ente incompleto, & quod purè perficitur.

12. Ad 1. distinguo maiorem: quod est summè simplex non potest componi cum alio per modum partis, ac per modum perfectibili, concedo: per modum actus purè perfectiui, nego: concedo minorem; ac distinguo eodem pacto consequens. Summa simplicitas consistit in hoc, vt ens habeat esse, ac perfectionem intrinsecam, non constantem ex pluribus realiter distinctis, sed sit totum suum esse, & tota sua perfectio: & quia eo ipso, quod ens componatur cum alio ente, ita vt intrinsecè perficiatur, habet esse, & perfectionem constantem ex pluribus realiter

distinctis; ideo ens summè simplex non potest componi cum alio ente per modum perfectibili, quod intrinsecè perficiatur. E conuerso quia etiam si ens componatur cum alio ente per modum purè perfectiui, retinet totum suum esse, & totam suam perfectionem intrinsecam, non compositam ex pluribus, ideo ens summè simplex potest componi cum alio per modum actus purè perfectiui.

13. Ad 2. nego maiorem, ac dico de ratione compositi vt sic esse solum, vt componatur ex pluribus à parte rei distinctis, ac se perficientibus mutuo, vel non mutuo. Si omnia, ex quibus componitur, se perficiant mutuo, singula componentia habent rationem partis, hoc est entis incompleti, ac perfectibili. Si verò vnum perficiatur, aliud purè perficiat, illud solum, quod perficitur, habet rationem partis, ac entis incompleti, illud autem, quod purè perficit, retinet rationem totius, & entis completi, ac purè perficientis. Et quia Christus componitur ex humanitate, & Verbo, ita vt sola humanitas sit ens incompletum, & perfectibile, Verbum sit ens completum, & purè perfectiuum, componitur ex duobus, quorum alterum est pars, alterum non est pars, sed totum perfectum, & purè perfectiuum.

14. Ad 3. distinguo maiorem: quidquid componitur ex pluribus, quorum singula sint pars, & ens incompletum, est perfectiui singulis, concedo: quorum singula non sint pars, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam.

15. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. Natura diuina non est composita ex tribus Personis, quia neque est composita compositione trium Personarum cum natura: siquidem tres Personæ non distinguuntur à natura, adeoque non possunt cum illa facere compositionem; neque est composita compositione trium Personarum inter se, quia nullum compositam potest constare ex pluribus per se subsistentibus, & oppositis; sed singulæ tres Personæ per se subsistent, & relativè opponuntur: ergo non possunt mutuo componi. At persona Christi est composita ex duabus naturis realiter distinctis, ac non oppositis, sed unitis in vna Verbi subsistentia, & ex Persona Verbi, & natura humana realiter distinctis in vna subsistentia. Hæc doctrina desumpta est ex Augustino lib. 11. de Ciuit. cap. 10.

16. Ad 5. concedo cum S. Thoma 4. contra Gentes, cap. 45. Personam Christi formaliter sumptam, vt subsistentem in duabus naturis, esse minus simplicem natura humana, licet Persona Verbi secundum se sit simplicior natura humana.

Q V A E S T I O XXV.

Vtrum vnio hypostatica sit modus substantialis distinctus à Verbo, & natura humana, & vtrique intrinsecus?

S. Th. quæst. 2. art. 7.

1. Videtur vnio hypostatica non distingui à Verbo, & natura humana. Vnio enim hypostatica est, per quam Deus est homo, & homo est Deus; sed Deus est homo per humanitatem, homo est Deus per deitatem: ergo vnio nihil aliud est, quam humanitas, & deitas, quæ deitas est ipsum Verbum.

2. Secundo si vnio distingueretur à Verbo, & humanitate, deberet recipi, tum in Verbo, tum in humanitate, tamquam in subiecto, proportionaliter, ac vnio animæ rationalis cum corpore recipitur, tum in anima, tum in corpore: ergo Verbum mutatum fuisset. Quod enim recipit in se aliquid, mutatur: sed Verbum in tempore recepisset vnionem: ergo mutatum fuisset.

3. Respondeo cum Sancto Thoma hac 3. parte, quæst. 2. art. 7. aliisque communiter contra Gregorium Ariminensem in 1. distinct. 28. quæst. 2. & contra quosdam alios Nominales antiquos, & recentiores, vnionem hypostaticam addere aliquid à parte rei distinctum à Verbo, & humanitate simul existentibus. Probat: nam Verbum, & humanitas Christi potuerunt simul esse, absque eo, quod vnirentur hypostaticè: ergo vnio hypostatica addit aliquid à parte rei distinctum à Verbo, & humanitate simul existentibus. Quæritur quid illud sit?

4. Posset aliquis existimare vnionem supra Verbum, & humanitatem addere solam negationem subsistentiæ propriæ humanitatis, vel aliam similem negationem, aut addere aliquid accidentale.

Sed contra est: nam ens substantiale per se vnum non potest constitui per negationem, neque per aliquid accidentale, vt suppono ex Philosophia, & dixi quæst. 21. agens de subsistentia: sed Christus, in quantum constat ex Verbo, & humanitate hypostaticè vnitis, est ens substantiale per se vnum: ergo vnio, quæ est vnum ex constitutiuus, non potest esse negatio, neque accidens, sed debet esse ens positiuum substantiale; sed hoc ens distinguitur à Verbo, & à qualibet Persona diuina: quidquid autem distinguitur à Deo est creatum: ergo vnio est ens positiuum, substantiale, creatum, ac de nouo productum in tempore, cum Verbum caro factum est. Addo humanitatem posse carere propria subsistentia, & tamen non vniri Verbo, sed vniri alteri Personæ diuinæ, pu-

ta Patri, vel Spiritui Sancto; ergo vnio, quæ vnitur Verbo potius, quam alteri Personæ diuinæ, addit aliquid distinctum à negatione propriæ subsistentiæ.

5. Dices: S. Thomas hoc ipso articulo septimo docet, vnionem esse relationem creatam, quæ consideratur inter naturam diuinam, & humanam, secundum quod conueniunt in vna Persona filij Dei; sed relatio est accidens: ergo existimat vnionem hypostaticam esse accidens.

Respondeo, distinguo minorem: relatio prædicamentalis est accidens, transeat: omnis relatio transcendentalis, nego. Relatio latissimè sumpta est habitudo, quæ vnum certo modo se habet ad aliud: & quia res omnium prædicamentorum possunt secum identificare habitudines, per quas certo modo se habeant ad aliud; ideo relatio latissimè sumpta transcendit omnia prædicamenta, ac proindè datur etiam aliqua relatio substantialis, & communiter admittitur materiam, & formam substantialem se mutuo respicere per relationes transcendentales potentiæ, & actus cum ipsis identificatas, & proindè substantiales. Verbum igitur, & humanitas vnionem, non accidentaliter, sed substantialiter per modum vnionis, qui modus est relatio, non accidentalis, sed substantialis, cum constituat Christum, in quantum est quoddam substantiale. In sententia, quæ docet relationes non posse identificari cum substantia, quæ est ens absolutum, dicendum vnionem esse relationem, non formalem, sed fundamentalem, quæ est aliquid absolutum substantiale, ad quod sequitur relatio accidentalis.

6. Quæritur, vtrum sicut vnio animæ cum corpore recipitur, tum in anima, tum in corpore, sic vnio Verbi cum humanitate recipiatur, tum in Verbo, tum in humanitate, tamquam in subiecto.

Respondeo, quod recipitur in sola humanitate, ad Verbum autem purè terminatur. Ratio est, quia Verbum est actus purus, & est incapax recipiendi aliquid distinctum. Vt enim aliquid sit capax recipiendi aliquid distinctum, debet esse in potentia, ac debet esse perfectibile: quæ repugnant actui puro. Hinc sequitur vnionem esse modum, non Verbi, sed humanitatis. Quod enim ita distinguitur ab altero, vt se ipso vnatur illi, tamquam subiecto, est modus illius: sed vnio ita distinguitur ab humanitate, vt se ipsa vnatur humanitati, tamquam subiecto: ergo &c.

7. Sed quæritur vterius, vtrum vnio sit Verbo intrinseca, vel purè extrinseca, & proindè vtrum terminetur ad Verbum, tamquam ad terminum intrinsecum, vel purè extrinsecum.

Respondeo vnionem hypostaticam esse intrinsecam, tum Verbo, tum humanitati, sed diuerso modo, ac humanitati esse intrinsecam

secam, tùm actiue, tùm passiuè, Verbo autem esse intrinsecam solum passiuè. Probat-ur, & explicatur. Intrinsecum actiue alicui est, quod illud intrinsecè perficit, vel deteriorat; intrinsecum passiuè dicitur, quod ab alio intrinsecè perficitur, vel deterioratur: sed vnio intrinsecè perficit humanitatem, & ab eadem intrinsecè perficitur; eadem vnio intrinsecè perficitur à Verbo, sed non perficit ipsum Verbum: ergo vnio humanitati est intrinseca, tùm actiue, tùm passiuè, Verbo autem est intrinseca solum passiuè. Quia verò extrinsecum dicitur, quod nullo modo est intrinsecum, ideò simpliciter, & absolute vnio non est extrinseca Verbo, sed est illi intrinseca, licet solum passiuè.

8. Hinc solui potest similis quæstio, qua quæritur, vtrum Verbum sit intrinsecum humanitati, & humanitas sit intrinseca Verbo. Dicendum, quod Verbum est intrinsecum humanitati, & humanitas Verbo, sed opposito modo. Verbum enim est intrinsecum humanitati solum actiue, non passiuè, ita vt humanitatem purè perficiat, non autem perficiatur ab humanitate; humanitas est intrinseca Verbo solum passiuè, non autem actiue, ita vt perficiatur à Verbo, non autem perficiat Verbum.

9. Quod humanitas, & vnio non sit merè extrinseca Verbo, vt dicunt aliqui, sed illi intrinseca, vt cum alijs docet Cardinalis de Lugo de Incarnatione, disput. 12. sect. 6. & 7. probatur ex inconuenientibus, quæ sequuntur ex sententia docente humanitatem esse merè extrinsecam Verbo. Primo enim sequitur Verbum esse intrinsecum humanitati, quæ sit merè extrinseca Verbo; sed est inintelligibile, quod aliquid sit intrinsecum alteri, quod est illi merè extrinsecum: ergo &c. Secundo sequitur Verbum esse hominem merè extrinsecè, non autem intrinsecè; sed omnis denominatio extrinseca rei est illi accidentaliter: ergo Verbum esset homo accidentaliter, quod est absurdum. Tertio nulla res potest facere vnum per se cum alio sibi extrinseco: ergo si humanitas esset extrinseca Verbo, Verbum non esset vnum per se cum humanitate.

10. Opponunt: si humanitas esset intrinseca Verbo, Verbum per Incarnationem fuisset mutatum. Probat sequela. Quod enim intrinsecè aliter se habet, ac antea, mutatur; sed Verbum per Incarnationem intrinsecè aliter se habuisset, ac antea: nam antequam incarnaretur, non erat intrinsecè homo; post incarnationem esset intrinsecè homo: ergo fuisset mutatum.

Respondeo, negando sequelam. Ad probationem distinguo maiorem: quod intrinsecè passiuè aliter se habet, ac antea, mutatur, concedo; purè actiue, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quod intrinsecè aliter se habet, ac antea purè actiue, ita vt alterum intrinse-

cè perficiat, aut mutet, quod ante non perficiebat, neque mutabat, non mutatur, sed solum mutatur. Illud solum mutatur, quod intrinsecè passiuè aliter se habet, ac antea.

11. Dices; aliter se habere intrinsecè, abstrahendo ab hoc, quod res aliter se habeat actiue, vel passiuè, est mutari: ergo &c.

Respondeo, negando antecedens, ac dico, quod aliter se habere, abstrahendo ab actiue, vel passiuè, est abstrahere à mutatione, vel non mutatione, eo pacto, quo etiam aduersarij debent fateri, quod aliter se habere, abstrahendo ab hoc, quod res se aliter habeat extrinsecè, vel intrinsecè, abstrahit ab hoc, quod est mutari.

12. Ad 1. distinguo maiorem: vnio hypostatica est, per quam Deus est homo, & homo est Deus, tanquam per formam, vel quasi formam, nego; tanquam per habitationem formæ, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. In homine corpus est animatum per animam, tanquam per formam, per vnionem animæ cum corpore, tanquam per habitationem, & applicationem formæ, ideoque vnio distinguitur ab anima, sicut applicatio formæ ab ipsa forma. Proportionaliter in Christo homo est Deus per Deitatem, tanquam formam, per vnionem, tanquam per habitationem formæ: Deus est homo per humanitatem, tanquam per formam, per vnionem hypostaticam, tanquam per habitationem formæ, ideoque vnio distinguitur à Verbo, & humanitate.

13. Ad 2. Nego antecedens. Vnio animæ cum corpore recipitur, tùm in anima, tùm in corpore, quia tum anima, tum corpus sunt in potentia ad hoc, vt vnionem recipiant, & per illam perficiantur, & compleantur. At sola humanitas est in potentia, vt recipiat vnionem cum Verbo, eaque perficiatur: Verbum autem est actus purus, qui potest vnionem purè perficere, ac terminare: ergo vnio hypostatica debet recipi solum in humanitate, ad Verbum autem solum terminari, licet sit intrinseca Verbo purè passiuè, vt explicatum est.

QVÆSTIO XXVI:

Vtrum vnio Verbi incarnati sit idem, ac assumptio?

S. Thom. quæst. 2. art. 8.

1. **V**idetur esse idem. Nam se vnire est idem, ac assumere, & vniri est idem, ac assumi: ergo vnio est idem, ac assumptio.

Respondeo vnionem, & assumptionem differre per hoc, quod assumptio actiua significat actionem; assumptio passiuua significat passionem; vnio autem significat relationem, qua vnum formaliter vnitur alteri.

Assum-

assumptio igitur actiua est productio vnionis, qua producens vnit sibi aliquid aliud, ideoque assumere est ad se sumere, hoc est vnire aliquid sibi, producendo vnionem. Assumptio passiuua est passio, qua in aliquo producit vnio, qua vnitur producenti talem vnionem, ideoque assumi est recipere, vel terminare vnionem, qua vnitur producenti talem vnionem. Vnio est ipse modus vnionis, quo vnum constituitur formaliter vnitum alteri, ac proinde vniri passiuè est terminare vnionem, qua terminans vnitur alteri. Vniri actiuè est producere vnionem alicuius cum alio.

2. Hinc sequitur primo Verbum diuinum esse simul vnies, vnitum, & assumens naturam humanam, sed non esse assumptum à natura humana. Ratio, quare dicatur vnies, est, quia illud dicitur vnies, quod producit vnionem alicuius cum alio; sed Verbum producit vnionem Verbi cum natura humana; ergo Verbum vnit naturam humanam sibi. Ratio, quare dicatur vnitum naturam humanam, est, quia illud dicitur vniri alteri, quod terminat vnionem, qua vnitur alteri; sed Verbum terminat vnionem, qua vnitur naturam humanam; ergo &c. Ratio, quare Verbum dicatur assumens naturam humanam, est, quia illud dicitur assumere aliquid, quod vnit illud sibi, producendo vnionem; sed Verbum vnit naturam humanam sibi, producendo vnionem; ergo &c. Ratio demum, quare Verbum non dicatur assumptum à natura humana, est, quia illud solum dicitur assumi, quod terminat vnionem, qua vnitur producenti talem vnionem; sed Verbum terminat vnionem, qua vnitur naturam humanam, quæ natura humana talem vnionem non producit, sed purè terminat, ac recipit; ergo.

3. Sequitur secundo naturam humanam assumptam esse à Verbo, & Verbo vnitam, at non assumpsisse Verbum, nec vnuisse Verbum sibi. Ratio, quare natura humana dicatur vnita Verbo, est, quia vniri est terminare vnionem; sed natura humana terminat vnionem cum Verbo; ergo vnitur Verbo. Ratio, quare dicatur assumpta à Verbo, est, quia assumi est terminare vnionem, qua vnitur producenti talem vnionem; sed natura humana terminat vnionem, qua vnitur Verbo producenti talem vnionem; ergo &c. Ratio, quare natura humana non dicatur assumpsisse Verbum, nec vnuisse Verbum sibi, vel se ipsam Verbo, est, quia assumere, & vnire includunt productionem vnionis; natura autem humana vnionem, qua vnitur Verbo, non producit, sed purè recipit, ac terminat.

4. Sequitur tertio Patrem, & Spiritum Sanctum vnuisse naturam humanam Verbo, sed neque assumpsisse naturam humanam, neque ab illa fuisse assumptos, neque vnitos fuisse naturam humanam. Ratio, quare vn-

uerint, est, quia vnire est producere vnionem; sed Pater, & Spiritus Sanctus vna cum Filio producerunt vnionem Verbi cum natura humana; siquidem omnes actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; ergo &c. Ratio, quare non assumserunt naturam humanam, est, quia Pater, & Spiritus Sanctus vnuerunt naturam humanam, non sibi, sed Verbo; assumere autem est aliquid ad se sumere, ac sibi vnire. Ratio, quare Pater, & Spiritus Sanctus non sint vniti naturam humanam, est, quia vnionem producerunt, non autem terminarunt.

5. Addo Filium, seu Verbum incarnasse simul, & incarnatum esse, humanasse, & humanatum esse, ac hominem factum esse; Patrem, & Spiritum Sanctum incarnasse quidem, & humanasse Verbum, illudque hominem fecisse, sed non fuisse incarnatos, humanatos, nec homines factos. Ratio est, quia incarnare est vnire Personam diuinam carni, producendo vnionem; sed omnes tres Personæ vnuerunt Personam diuinam Verbi carni, producendo vnionem per actionem communem toti Trinitati; ergo omnes tres Personæ incarnauerunt Verbum. At incarnari est Personam diuinam vniri carni, terminando vnionem; sed solus filius vnitus est carni, terminando vnionem; ergo. Hinc patet incarnationem differre ab assumptione per hoc, quod incarnari est producere vnionem cum carne; assumere est producere vnionem sui cum altero. Ideo vt docet Sanctus Thomas hoc art. 8. ad 3. Incarnatio determinat terminum ex parte naturæ assumptæ, assumptio determinat ipsum assumens.

6. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis, vnire non esse conuertibiliter idem, ac assumere; siquidem omnes tres Personæ vnuerunt Verbum carni, sola Persona Filij assumpsit carnem. Proportionaliter vniri non est conuertibiliter idem, ac assumi; siquidem tum natura humana, tum Verbum vnuntur, sola autem natura humana fuit assumpta, Verbum non fuit assumptum.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.

S. Th. qu. 2. art. 9.

1. **V**idetur esse maxima solum dignitate non autem in ratione vnionis, vt docuit Durandus in 3. distinct. 5. qu. 1. primo, quia vnio, per quam plura fiunt vnum, non solum in Persona, sed etiam in natura, est maior in ratione vnionis, quam vnio, per quam plura fiunt vnum solum in Persona, non autem in natura; sed in puris hominibus corpus, & anima fiunt vnum, non solum in persona, sed etiam in natura; in Christo autem duæ naturæ fiunt vnum solum in Persona, non autem in natura; ergo.

2. Secundo vnio, qua duo vnuntur ita,

vt

vt non possint separari, salua consistentia partium, est maior vnione, qua duo vniuntur ita, vt possint separari, salua consistentia partium: sed corpus, & anima non possunt separari, salua consistentia partium, natura humana, & diuina possunt separari, salua consistentia partium: ergo &c.

3. Respondeo, quod supponimus vnionem hypostaticam esse maximam dignitate inter omnes vniones creatas, & esse perfectiorem etiam vnione intentionali, qua beati vniuntur Deo per visionem beatificam, vt dixi qu. 3. lib. 5. de Actibus humanis in responsione ad 7. Quærimus, vtrum sit maxima etiam in ratione vnionis.

4. Dicendum cum Sancto Thoma, & pluribus alijs, quos refert, & sequitur Vasquez 3. par. disput. 20. cap. 2. vnionem hypostaticam in ratione vnionis esse maximam ratione eius, in quo duæ naturæ vniuntur, non autem ratione eorum, quæ vniuntur. Probat, & explicatur. Cum enim vnio sit coniunctio plurium in aliquo vno, perfectio vnionis desumitur ex duobus, nimirum ex eo, quod extrema sint maximè adaptata ad hoc, vt vniantur, & ex eo, quod id, in quo vniuntur, sit maximè vnum; sed natura diuina, & humana non maximè adaptantur ad hoc, vt vniantur; siquidem maximè distant, & non ordinantur naturaliter ad hoc, vt vniantur; at vniuntur in persona, & subsistentia Verbi, quæ est maximè, & infinitè vna, & simplex: ergo vnio duarum naturarum in Christo est maxima, non ratione eorum, quæ vniuntur, sed ratione eius, in quo vniuntur.

5. Dices. Accidentia Christi vniuntur in Persona Christi; ergo etiam vnio accidentium in Christo esset maxima ratione eius, in quo vniuntur.

Respondeo accidentia Christi vniri immediate, non in persona Verbi, cum non subsistant per subsistentiam Verbi, sed in natura humana cum sint in natura humana, tanquam in subiecto; sed natura humana non est maximè vna: ergo non vniuntur immediate in aliquo maximè vno; ac proinde vnio accidentium in Christo non est maxima ratione eius, in quo vniuntur.

6. Infertur primo vnionem duarum naturarum in Christo, & vnionem animæ, & corporis in puro homine, comparari per modum excedentis, & excessi. Vnio enim animæ, & corporis in puro homine est maior, ratione eorum, quæ vniuntur, cum anima, & corpus minus distent, & magis ordinentur ad hoc, vt vniantur, quam natura diuina, & humana. E conuerso vnio duarum naturarum in Christo est maior, ratione eius, in quo vniuntur; siquidem duæ naturæ vniuntur in Persona, & subsistentia Verbi, quæ est magis vna, & simplex, quam persona, & subsistentia puri hominis, in qua vniuntur anima, & corpus.

7. Sed potest quæri, vtrum simpliciter, & omnibus pensatis, vnio duarum naturarum in Christo sit maior, vel minor vnione animæ, & corporis in puro homine.

Respondeo esse maiorem simpliciter, & omnibus pensatis. Ratio est, quia illud vnum, in quo plura vniuntur, est quasi forma, & ratio vniendi, plura autem vnibilia se habent ad modum materiæ: sed perfectio vnionis magis desumitur ex eo, quod se habet vt forma, & ratio vniendi, quam ex ijs, quæ se habent vt materia: ergo cum ratio vniendi est perfectior, & magis vna, licet extrema vnita minus ordinentur ad vnionem, vnio est simpliciter perfectior, & maior in ratione vnionis; sed duæ naturæ in Christo vniuntur in aliquo magis vno, ac proinde in perfectiori ratione vniendi: ergo licet ex se minus ordinentur ad vnionem, quam anima, & corpus in puro homine, tamen simpliciter magis, ac perfectius vniuntur. Confirmatur ex Bernardo, qui lib. 5. de consideratione paulo post medium dicit. *Igitur inter omnia, quæ restit vnium dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, quæ tres Personæ vna substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, quæ è conuerso tres substantiæ in Christo vna Persona sunt.*

8. Infertur secundo Christum formaliter sumptum, in quantum est compositum, constans ex duabus naturis vnitis in vna Verbi subsistentia, esse simpliciter magis vnum quolibet composito pure creato. Primo enim Christus est compositum per se vnum; sed compositum per se vnum est magis vnum, quolibet composito accidentali, ac per accidens vno; ergo Christus est magis vnus quolibet composito accidentali, ac per accidens vno; sed etiam est magis vnus quolibet composito pure creato per se vno; siquidem in Christo plura vniuntur in aliquo magis vno, imò infinitè vno; ergo. Hoc ipsum confirmatur allata auctoritate Bernardi.

9. Infertur tertio, quod vt docet Bernardus verbis citatis, in Trinitate Personæ simpliciter sunt magis vnum in essentia, & in natura diuina, quam in Christo duæ, vel tres naturæ sunt vnum in Persona Verbi. Ratio est, quia tres personæ non solum sunt vnum in essentia, quæ est maximè vna, sed etiam sunt vnum in essentia, cum qua sunt maximè vnum per vnitatem identitatis; siquidem tres Personæ identificantur cum vna essentia. At in Christo duæ naturæ, licet sint vnum in Persona, quæ est maximè vna, tamen non habent maximam vnitatem cum persona, siquidem natura humana non identificatur cū Persona Verbi. In Christo tanquam Deus, & homo in ratione suppositi sūt magis vnum, quā in Trinitate Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. In Christo enim Deus, & homo sunt vnum suppositum; in Trinitate Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sunt vnū suppositum, sed tria supposita. Propter hanc maiorem vnitatem in ratione suppositi, Au-
gu-

gustinus lib. de Trinitate cap. 7. dicit. *Homo potius est in filio Dei, quam filius in Patre.* Ex hoc autem sequitur solum Deum, & hominem in Christo esse magis vnum secundum quid, non autem simpliciter, quam Pater, & Filius sint vnum in Trinitate.

10. Ad 1. distinguo maiorem: Vnio, qua plura sunt vnum in persona simul, & natura, est maior vnione, qua sunt vnum in persona tantum, si cœtera sint paria, & si persona, & natura sint æquæ vna, transeat: si minus sint vna, nego: distinguo eodē pacto minorem; & nego consequentiam. Anima, & corpus in puro homine sunt vnum simul, & in natura, & in persona. Sed quia persona, & natura hominis sunt minus vna, quam Persona Verbi, in qua vniuntur natura humana, & diuina in Christo, ideo vnio animæ, & corporis puri hominis est simpliciter minor vnione duarum naturarum in Christo.

Ad 2. distinguo maiorem: vnio, qua duo non possunt separari, salua consistentia partium, est maior vnione, qua possunt separari, salua consistentia partium, si cœtera sint paria, & si vniuntur in aliquo æquæ vno, concedo: si vniuntur in aliquo minus vno, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad do naturam humanam Christi non posse separari à Verbo, salua consistentia, hoc est salua tota perfectione, qua intrinsecè substantialiter perficitur, proportionaliter, ac anima rationalis non potest separari à corpore, salua tota perfectione, qua perficitur à corpore. Ad do rursus vnionem hypostaticam esse magis indissolubilem vnione animæ cum corpore: siquidem anima potest naturaliter separari à corpore per mortem; at neque per mortem Christi anima, & corpus Christi fuerunt separata à Verbo. Ideo Bernardus loco citato dicit. *Manet etiam in separatione inseparabilis vnitas: Neque enim que ex parte contigit separatio, potuit vnitati prescribere permanenti in totis tribus: siue coniunctis, siue disiunctis duobus, nihilominus perseuerant in tribus vnitas personalis.*

QVAESTIO XXVIII.

Virum terminus per Incarnationem productus, & à Beata Virgine per Spiritum Sanctum conceptus, sit totus Christus, Deus simul & homo?

S. Thom. 3. part. quæst. 32. & 33.

1. Videtur terminus per Incarnationem productus esse solus modus vnionis, non autem totus Christus, Deus simul, & homo: primo, quia sola vnio hypostatica producta est de nouo per Incarnationem, Verbum non est productum de nouo, sed erat antè Incarnationem; anima Christi supponebatur, vt à Deo creata; corpus & caro,

vt generata per actionem generatiuam prius natura, quam assumerentur: sed terminus incarnationis est ille, qui per Incarnationem fuit de nouo productus; ergo &c.

2. Secundo si Christus per Incarnationem fuisset productus, fuisset productus ab omnibus tribus Personis diuinis, ac proinde etiam à Filio; sed Christus est ipse Filius; ergo Christus fuisset productus à se ipso; quod est absurdum: siquidem producens, & productum, principium, & terminus actionis productiue debent distingui.

3. Respondeo Incarnationem posse considerari tribus præcipue modis. Primò in quantum est assumptio. Secundo in quantum est communicatio. Tertio in quantum est productio, & actio. Si Incarnatio consideretur, vt assumptio, terminus illius est, quod fuit assumptum à Verbo; sed à Verbo assumpta fuit tota, & integra natura humana; ergo terminus per Incarnationem assumptus est tota, & integra natura humana, Verbum autem ipsum est terminus, ad quem natura humana fuit assumpta. Si Incarnatio consideretur vt communicatio, terminus est id, quod humanæ naturæ fuit communicatum; sed humanæ naturæ fuit communicata formaliter ipsa Persona Verbi; ergo terminus Incarnationis, in quantum est communicatio, est ipsa Persona Verbi. Dubitatur, quis sit terminus productus, & factus per Incarnationem, in quantum est quædam productio, & actio?

4. Scotus in 3. dist. 1. quæst. 1. Gabriel ibidem, Durandus in 3. dist. 5. quæst. 2. docent terminum per Incarnationem productum esse solum modum, & solam relationem creatam vnionis, ex fundamentis allatis in rationibus dubitandi.

5. Dicendum nihilominus cum communi sententia, quæ tribuitur S. Thomæ 3. part. quæst. 2. artic. 8. & clarius in 3. dist. 2. quæst. 2. quæstioncula 3. S. Bonauenturæ in 3. dist. 2. artic. 3. quæst. 2. & distinct. 3. art. 1. quæst. 3. quos sequuntur Caietanus, & alij: terminus totalis per Incarnationem productus est Persona diuina Verbi, vt in humana natura subsistens, seu Christus ipse formaliter sumptus. Terminus formalis productus potest concedi, quod sit modus creatus vnionis.

6. Probatum primò, & explicatur. Quando enim per aliquam actionem, & productionem fit, & de nouo incipit esse aliquod totum, quod antè non erat, illud totum est terminus totalis productus; forma autem, & vnio licet de nouo incipiant esse, non sunt terminus totalis, sed formalis: ex. gr. cum statuarius facit statuam marmoream, tota statua, quæ de nouo incipit esse, est terminus totalis talis actionis: figura autem statuæ, & vnio figuræ cum materia, hoc est cum marmore, non sunt terminus totalis, sed formalis, ac non tam fiunt, quam ijs totum, hoc est

est statua fit, vt docet Aristoteles 7. Metaphysicæ, textu 36. 37. & 32. sed per Incarnationem incepit esse de nouo Christus formaliter sumptus, hoc est totum constans ex Verbo, & natura humana hypostaticè vnitis; ergo terminus totalis Incarnationis est ipse Christus formaliter sumptus, "modus autem vnionis non est terminus totalis, sed formalis, ac non tam fit, quam eo Christus fit.

7. Debet autem aduerti, quod ad hoc, vt aliquod totum de nouo fiat, producat, & accipiat esse, non requiritur, vt omnes eius partes, & omnia constitutiua fiant: ex. gr. cum fit statua, marmor, quod est materia statuæ, non fit de nouo, sed antè erat, sola figura, cuiusque vnio cum marmore de nouo incipit esse: similiter cum homo generatur, materia non generatur, anima etiam rationalis non generatur, sed creatur à Deo ex nihilo, sola vnio incipit de nouo esse vi actionis generatiuæ, & tamen totus homo dicitur generari, ac fieri de nouo; ergo vt per Incarnationem totus Christus fiat, non est necesse, vt Verbum fiat, neque vt natura humana fiat, sed sufficit, vt sola vnio hypostatica de nouo fiat, & incipiat esse per Incarnationem.

8. Probatur secundo conclusio auctoritate. Nam Patres communiter, nimirum Iustinus Martyr, Libro de veræ fidei confessione, Athanasius in Symbolo, Augustinus Epistola 3. ad Valusianum, Cyrillus Alexandrinus Libro de Incarnatione Vnigeniti, Theodoretus Dialogo *inconfusus*, & alij dicunt, ita fieri vnum Christum ex Verbo, & humana natura per Incarnationem, sicut fit vnus homo ex anima, & corpore per generationem; sed terminus totalis per generationem productus est homo compositus ex anima, & corpore vnitis; ergo terminus totalis per Incarnationem productus est Christus compositus ex Verbo, & humanitate hypostaticè vnitis.

9. Infertur, quod Deus per incarnationem Christum, hoc est Verbum carnem, & Deum hominem, vt terminum totalem produxit, & fecit in vtero Virginis non ex nihilo, sed ex substantia, hoc est ex purissimo sanguine ipsius Virginis, proportionaliter, ac alij homines fiunt, & generantur ex substantia matris, ita vt Beata Virgo ad generationem Christi præstiterit totam materiam, & totum illum concursum, quem ceteræ matres præstant ad generationem suorum filiorum. Hinc vterius sequitur, quod sicut Deus ex substantia Virginis produxit, & fecit totum Christum, non quidem secundum Diuinitatem, neque secundum animam rationalem, sed secundum corpus, & carnem, sic Virgo concepit, ac generatione propria matris generauit totum Christum, Deum simul, & hominem, & concepit, ac generauit, non solum hominem, sed Deum, non quidem secundum Diuinitatem, neque secun-

dum animam rationalem, sed secundum carnem, ideoque de Christo filio Dei ad Romanos 1. dicitur, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, & ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere*. Ratio est, quia illum ipsum, quem Deus produxit in vtero Virginis, & ex substantia Virginis, Virgo concepit, ac generatione propria matris generauit ex sua substantia; sed Deus totum Christum secundum carnem produxit, ac fecit in vtero Virginis, & ex substantia Virginis; ergo Virgo totum Christum secundum carnem concepit, ac generauit ex sua substantia; ideoque fuit verissima mater Christi, Dei simul, & hominis.

10. Quæri potest, vtrum sicut iuxta sententiam S. Thomæ 1. p. qu. 76. art. 3. ad 3. & quest. 118. art. 2. ad 2. aliorumque satis communiter, ceteræ matres prius concipiunt, ac generant embryonem hominis, hoc est carnem, & corpus nondum animatum anima rationali, deinde cum anima infunditur corpori iam organizato, concipiunt hominem, sic Beata Virgo prius tempore conceperit embryonem, & corpus Christi nondum animatum anima rationali, & nondum vnium hypostaticè Verbo, deinde conceperit hominem, cum Anima rationalis infusa esset corpori, ac demum cum corpus animatum assumptum est à Verbo, conceperit, & generauerit Christum, Deum simul, & hominem.

11. Respondeo cum S. Thomæ 3. p. quæst. 33. art. 1. in conceptione Christi non posse considerari. Primò potest considerari motus localis sanguinis ad locum generationis, hoc est ad vterum Virginis, ex quo sanguine, tanquam ex materia formari debebat corpus Christi. Secundò potest considerari ipsa conceptio corporis Christi, eiusque animatio per vnionem cum anima rationali à Deo creata, & corpori infusa. Tertio potest considerari augmentum corporis Christi, quo perductum est ad quantitatem & molem, in qua debebat nasci, & ex vtero prodire. Ex his tribus primum fuit præambulum conceptioni: tertium fuit consequens conceptionem: secundum, hoc est formatio corporis, eiusque animatio fuit ipsa conceptio. Motus sanguinis ad vterum factus est successiuè, & in tempore, sed breuissimo, & probabile est, vt insinuat Suarez, tomo 2. de Incarnatione, disp. 11. sect. 2. eo tempore, quo Beata Virgo verbis significauit internum consensum conceptioni Christi, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, sanguinem ad vterum confluxisse, & in proximam materiam corporis Christi per virtutem actiuam Virginis, cooperante Spiritu Sancto, dispositum fuisse. Augmentum corporis iam concepti, & animati factum fuit successiuè per nouem menses vsque ad tempus natiuitatis. Conceptio ipsa facta est, non successiuè, sed instantanè.

stantaneè, ac proindè in instanti ex sanguine, qui ad uterum confluerat, formatum est corpus Christi, sine concursu viri, à tota Trinitate, actione appropriata Spiritui Sancto. In eodè instanti creata est anima rationalis Christi, & corpori vnita, ac corpus simul, & anima in eodem instanti assumpta est à Verbo Dei per productionem vnionis hypostaticæ. Beata igitur Virgo in primo instanti concepit, non carnem carentem anima rationali, non hominem carentem vnione hypostatica, sed Christum perfectum Deum, & perfectum hominem ineffabiliter compositum ex carne vnita animæ rationali, & ex Verbo hypostaticè vnito carni, & eidem animæ rationali.

12. Quod Corpus Christi in eodem instanti fuerit formatum, animatum, & simul cum anima rationali à Verbo assumptum, est de fide, vel fidei proximum, & vt certissimum dogma fidei traditur à Sanctis Patribus, ac proindè contrarium est hæreticum, vel saltem erroneum, & proximum hæresi. Nam S. Leo epistola 11. ad Iulianam dicit, Verbum non assumpsisse carnem, quam antea produxisset, sed assumendo, produxisse. Augustinus libro 13. de Trinitate, cap. 17. dicit. *Ex quo homo esse cepit, ex illo est & Deus Fulgentius libro de fide ad Petrum, cap. 17. dicit: Firmissime tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine Diuinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Dei suæ carnis assumptione conceptam.* Idem docent Nazianzenus epistola ad Chelidonum, Damascenus libro 3. de fide, cap. 2. & alij, ac Sophronius, qui refertur, & approbatur in 6. Synodo generali, actione 11. dicit. *Stimul quippè caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Verbi Dei caro animata rationalis.* Addit multa in eadem sententiam, ac dicit contrarium docuisse Paulum Samosatenum, & Nestorium.

13. Eadem veritas colligitur ex Symbolo fidei, in quo credimus Filium Dei conceptum esse de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; ergo Beata Virgo, cum primo concepit, Filium Dei concepit; sed si cum primo concepit, concepisset carnem non hypostaticè vnitam Verbo, non concepisset Filium Dei; ergo cum primo concepit, caro hypostaticè est vnita Verbo; sed non fuit conueniens, vt Verbum primo vniretur carni nondum formata in corpus, & nondum animata anima rationali; ergo cum primo concepit, formatum est corpus, animatum anima rationali, & vnitum hypostaticè Verbo. Confirmatur: nam propriè dicimus, *Verbum caro factum est, Deus homo factus est*, non autem propriè dicimus, *caro facta est Verbum, homo factus est Deus*; sed si prius fuisset caro, deinde assumpta esset à Verbo, propriè diceremus, *caro facta est Verbum*; ergo &c. Probat minor. Nam ideo propriè dicimus, *Verbum caro factum est*, quia Verbum prius fuit, deindè per vnionem cum carne factum est caro; sed caro prius fuisset,

deindè per vnionem cum Verbo facta fuisset Verbum; ergo &c. Rursus si caro illa prius extitisset, quam assumpta esset à Verbo, habuisset propriam subsistentiam, & per assumptionem corrupta fuisset subsistentia carnis, quod est inconueniens. Licet igitur cæteri homines, quia concipiuntur, & generantur naturaliter, & virtute finita causarum naturalium, prius tempore concipiuntur secundum carnem adhuc non animatam anima rationali, deinde paulatim perducantur ad animam rationalem, tamen Christus, quia conceptus est supernaturaliter virtute infinita Spiritus Sancti, in primo instanti conceptus est homo perfectus, ac perfectus Deus, habens carnem animatam anima rationali, & hypostaticè vnitam Verbo.

14. Si verò quærat, in quo instanti facta sit Incarnatio, & Christus à Virgine conceptus? Respondeo, quod sicut in instanti terminatiuo, in quo verba consecrationis, *Hoc est Corpus meum*, sunt primo sufficienter prolata, panis conuertitur in corpus Christi, & Christus ponitur sub speciebus, siue accidentibus panis, sic in instanti terminatiuo, quo verba illa consensus, *Eccæ Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, fuerunt primo sufficienter prolata, conceptus est Christus, & facta est Incarnatio, ac *Verbum caro factum est*. In Eucharistia tamen panis, qui est materia consecrationis, conuertitur in corpus Christi per transubstantiationem, qua tota substantia panis secundum materiam, & formam destruitur, & loco illius succedit corpus Christi, remanentibus accidentibus panis; at in conceptione Christi sanguis, qui fuit materia conceptionis, conuersus est in corpus Christi, non per transubstantiationem, cum remanserit materia prima sanguinis, sed per generationem, & transformationem substantialem, vt contingit in conceptione aliorum hominum.

15. Inferitur explicatio articuli fidei contenti in Symbolo Apostolorum, quo credimus, quod Filius Dei conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Filius Dei dicitur conceptus, quia is, quem primo Virgo concepit, fuit Filius Dei, vt explicatum est. Dicitur conceptus ex Maria Virgine, quia Christus Filius Dei secundum corpus, & carnem non est creatus ex nihilo, sed est factus ex substantia, hoc est ex purissimo sanguine Beatæ Virginis, salua omnimoda ipsius Virginitate. Dicitur conceptus de Spiritu Sancto, quia causa efficiens conceptionis, ac generationis Christi fuit, non vir, sed Spiritus Sanctus, seu tota Trinitas actione appropriata Spiritui Sancto. Particula autem *de*, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 32. art. 2. significat duplicem habitudinem. Prima est habitudo causæ efficientis; secunda est habitudo consubstantialitatis. Quia ergo Christus secundum corpus factus est à Spiritu Sancto, tanquam à causa efficiente, secundum personam Filij Dei est

consubstantialis Spiritui Sancto, cum sit eiusdem substantiæ cum Patre, & Spiritu Sancto, ideo Christus dicitur conceptus de Spiritu Sancto. Corpus autem Christi, quia non est consubstantiale Spiritui Sancto, non dicitur conceptum de Spiritu Sancto, sed ex Spiritu Sancto, si propriè loquamur, vt notat S. Thomas citato articulo in responsione ad 1.

16. Addit S. Thomas articulo 3. eiusdem quæstionis 32. quod licet Christus sit de Spiritu Sancto, non est Filius Spiritus Sancti, nec Spiritus Sanctus est pater Christi. Ratio est, quia ad filiationem requiritur, vt filius procedat à patre per generationem in similitudinem naturæ; sed Christus generatur duplici generatione, æterna nimirum, & temporali, & per neutram procedit à Spiritu Sancto in similitudinem naturæ: nam per generationem æternam procedit, non à Spiritu Sancto, sed à Patre; per generationem temporalem procedit quidem à Spiritu Sancto, sed non in similitudinem naturæ, cum accipiat naturam humanam, in qua non est similis Spiritui Sancto; ergo Christus neutra generatione est Filius Spiritus Sancti, sed per generationem æternam est Filius solius Patris, quia ita procedit à Patre, vt accipiat naturam Patris; per generationem temporalem est Filius solius matris, quia ita generatur à matre, vt accipiat naturam humanam omnino similem naturæ matris. Neque potest dici, quod Christus sit filius adoptiuus Spiritus Sancti, quia filius naturalis non potest dici adoptiuus, neque potest adoptari: siquidem adoptio connotat negationem filiationis naturalis in adoptato, cum filius naturalis adoptari non possit; sed Christus est Filius naturalis Dei; ergo non potest dici filius Dei adoptiuus.

17. Si verò quærat, quare Incarnatio, & conceptio Christi, licet causata fuerit efficienter à tota Trinitate, tamen approprietur Spiritui Sancto? Respondet S. Thomas 3. parte, quæst. 32. artic. 1. afferendo tres rationes. Prima ratio est. Spiritus Sanctus ex sua proprietate personali est amor, ideoque ipsi tribuuntur opera, quæ facit Deus ex amore; sed incarnatio facta est ex maximo Dei amore erga mundum, iuxta illud Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*; ergo &c. Secunda ratio est. Spiritus Sanctus ex sua proprietate personali est actus voluntatis, ideoque opera gratiæ, quia fiunt à Deo voluntate purè gratuita, tribuuntur Spiritui Sancto; sed Deus naturæ humanæ dedit vnionem cum Verbo voluntate purè gratuita, ac nullis precedentibus meritis; ergo Incarnatio appropriatur Spiritui Sancto. Tertia ratio est. Sicut Patri appropriatur creatio, sic Spiritui Sancto, qui ad Romanos 1. vocatur Spiritus sanctificans, appropriatur sanctificatio; sed per Incarnationem homo ille, qui conceptus est, fuit sanctificatus, & factus Filius naturalis Dei; ergo &c.

18. Quæri potest, vtum saltem Deus prius natura creauerit animam Christi, deinde in signo posteriori vnuerit animam, corpori; & proportionaliter prius natura formauerit corpus Christi, deinde in signo posteriori corpus vnuerit animæ, ac Verbo, an potius hæc omnia fecerit in eodem signo naturæ?

19. Respondeo conformius Patribus supra citatis esse, quod omnia hæc facta fuerint in eodem instanti, non solum temporis, sed etiam naturæ. Deus igitur simul natura creauit ex nihilo animam Christi, & ex Virgine fecit, & formauit corpus Christi, animamque vnuit corpori, & animam, & corpus vnita inter se vnuit Verbo. Hinc sequitur Beatam Virginem in primo instanti, & signo naturæ, in quo concepit, concepisse Christum Deum simul, & hominem, ex eaque factum corpus Christi vnitum animæ rationali, ac Verbo Dei. Existimo tamen aliam fuisse actionem creatiuam, qua Deus ex nihilo creauit animam Christi; aliam actionem generatiuam, qua ex sanguine Virginis fecit corpus Christi, illudque vnuit animæ rationali; aliam actionem vnitiuam, qua corpus, & animam vnuit Verbo, licet ex his, tamquam ex pluribus actionibus partialibus fiat actio totalis, qua Deus produxit totum, & integrum Christum, creando animam ex nihilo, & corpus faciendo ex Sanguine Virginis, animam autem, & corpus vniedo hypostaticè Verbo Dei.

20. Quæritur demum, vtum Beata Virgo concurrerit actiue, vel solum passiue ad generationem Christi? Respondeo Beatam Virginem concurrisse toto illo concursu, quo concurrunt cæteræ matres ad generationem suorum filiorum. Primo igitur sicut cæteræ matres concurrunt actiue ad producendam, præparandam, & subministrandam materiam, ex qua filij generantur secundum corpus, sic Beata Virgo concurrit actiue ad producendam, præparandam, & subministrandam materiam, ex qua genitus est Christus secundum corpus. Licet autem iuxta probabilem opinionem Galeni, & medicorum, ac plurium Theologorum, cæteri filij fiant ex materia subministrata partim à patre, partim à matre, tamen Christus genitus fuit ex materia adæquatè subministrata à matre. Secundo sicut aliæ matres non concurrunt actiue ad creandas animas rationales filiorum, quæ creantur à solo Deo, sic Beata Virgo non concurrit actiue ad creandam animam Christi, quæ creata est à solo Deo. Quæritur, vtum concurrerit actiue ad formationem corporis, eiusque vnionem cum anima rationali? Dicendum, quod si aliæ matres concurrunt actiue ad hæc, etiam Beata Virgo concurrat actiue; si aliæ matres non concurrunt actiue, nec Beata Virgo concurrat actiue. Vtrum
alia

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum vnio duarum naturarum in Christo facta sit per gratiam?

S. Thom. q. 2. ar. 10.

1. **V**idetur non fuisse facta per gratiam. Gratia enim est accidens: ergo si vnio facta fuisset per gratiam, facta fuisset per accidens, quod est absurdum.

Respondeo ex Sancto Thoma 1. 2. quæst. 110. art. 1. aliisque communiter, gratiam dici dupliciter. Primo gratia dicitur Dei voluntas gratuita dandi gratis aliquod donum, præsertim excedens naturam creatam. Secundo gratia dicitur donum Dei gratis datum præsertim excedens naturam creatam. Rursus dupliciter intelligi potest vnionem factam, fuisse per gratiam. Primo efficienter, itaut causata sit per gratiam: secundo formaliter, itaut ipsa vnio sit gratia.

2. His suppositis, dicendum primo cum Sancto Thoma: vnio hypostatica facta est formaliter per gratiam secundo modo dictam, itaut ipsa vnio sit gratia. Probatur: nam gratia secundo modo dicta est donum Dei gratis datum, præsertim naturam creatam excedens; sed vnio hypostatica est donum Dei gratis, ac nullis præcedentibus meritis datum humanitati Christi, ac naturam humanam excedens, illique prorsus indebitum; ergo &c. In hoc sensu vnio includit gratiam, tum creatam, tum increatam; siquidem humanitati Christi data est gratis, tum ipsa Persona increata Verbi, tum modus creatus vnionis.

3. Dicendum secundo: vnio hypostatica facta est efficienter per gratiam primo modo dictam. Probatur: nam gratia primo modo dicta est Dei voluntas gratuita dandi gratis aliquod donum, præsertim naturam excedens; sed vnio hypostatica naturam excedit, & causata est efficienter per gratuitam voluntatem Dei, qua gratis, ac nullis præcedentibus meritis, tribuit humanitati Christi donum creatum, & increatum vnionis; ergo &c.

4. Dicendum tertio: vnio hypostatica non est facta efficienter per gratiam secundo modo dictam. Probatur: nam vnio hypostatica fuit primum donum collatum humanitati Christi immediatè à Deo, & non causatum efficienter, medio alio dono.

5. Dices: vnio, qua iusti, & sancti vniantur Deo per cognitionem, & amorem, causatur efficienter per aliud donum supernaturale, puta per habitus fidei, spei, charitatis, ac luminis gloriæ; ergo etiam vnio hypostatica causari debuit in Christo per aliud donum, puta per aliquem habitum.

Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia vt natura perfectè operetur, connaturaliter debet esse prius perfectè per habitum concurrentem efficienter ad operationem; ergo vnio, qua

alia matres concurrunt actiue ad formationem corporis, & ad vnionem cum anima rationali, est quæstio philosophica, in qua Aristoteles, quem sequitur S. Thomas 3. p. quæst. 32. art. 4. & Caietanus in commentario, alijque plures philosophi, ac theologi docent matrem concurrere solum passiuè, ac subministrare totam materiam, patrem concurrere actiue, ac nihil materiæ subministrare. Galenus è conuerso libro de spermate, quem sequuntur S. Bonaventura in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 1. Scotus, & Gabriel ibidem, docent concurrere actiue, non solum patrem, sed etiam matrem, & vtrumque subministrare partem materiæ, ex qua filius fit. Videri potest Suarius tom. 2. de Incarnatione, quæst. 10. sect. 2.

21. Ad 1. Addo Beatam Virginem non concurrissè actiue ad productionem vnionis hypostaticæ, quæ producta fuit à solo Deo. Probabile tamen est generationem passiuam, qua Beata Virgo concepit Christum, seu fuerit purè passiuæ, seu fuerit partim actiua, partim passiuæ, fuisse essentialiter connexam cum vnione hypostatica, ac proinde Beatam Virginem per talem generationem concepisse Deum simul, & hominem, ita vt eadem numero generatione non potuerit concipere purum hominem.

22. Ad 1. distinguo maiorem; per Incarnationem sola vnio producta est, vt terminus formalis, transeat: vt terminus totalis, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Totus Christus productus est vt terminus, ac proinde totus Christus fuit terminus totalis Incarnationis, vt explicatum est.

23. Ad 2. concedo maiorem, & minorem, ac distinguo consequens; ergo Christus materialiter sumptus, in quantum est persona filij subsistens in natura humana, productus fuisset à se ipso materialiter sumpto, in quantum est persona filij subsistens præcisè in natura diuina, concedo: Christus formaliter sumptus productus fuisset à se ipso formaliter sumpto, vel Christus materialiter sumptus productus fuisset à se ipso materialiter sumpto, nego. Si Petrus ex. gr. dealbaret se ipsum, produceret, & causaret album formaliter sumptum; & quia Petrus esset ipse albus, albus materialiter sumptus produceret, & causaret album formaliter sumptum, quod non repugnat. Proportionaliter Filius Dei, qui se ipsum incarnauit, & humanauit, produxit Christum formaliter sumptum, hoc est Filium Dei vt humanatum, & subsistentem in natura humana: & quia Filius Dei est ipse Christus subsistens in natura humana, ideo Filius Dei subsistens in natura humana, materialiter sumptus produxit Filium Dei, vt subsistentem in natura humana, seu formaliter sumptum, quod non repugnat.

qua Sancti vniuntur Deo per operationem, debet fieri mediante habitu. At vt natura subsistat, non debet prius esse perfecta per habitus, imo prius debet subsistere substantialiter, & substantialiter perfici, deinde debet perfici accidentaliter per habitus, & operationes; ergo vnio hypostatica, qua natura subsistit per substantiam Verbi, non debuit fieri efficienter per habitus, sed debuit precedere omnes habitus.

6. Ad argumentum in contrarium, nego omnem gratiam esse accidens. Nam præter gratiam accidentalem datur gratia substantialis, qualis est vnio hypostatica.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum vnionem hypostaticam præcesserint aliqua merita Christi, Beate Virginis, & SS. Patrum.

S. Th. quæst. 2. art. 11.

1. **P**rimo videtur Christus ipse, vel eius humanitas meruisse sibi vnionem hypostaticam, ac proinde aliqua merita humanitatis tempore, vel natura præcessisse vnionem hypostaticam. Psalmo enim 44. Christo dicitur: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vinxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ: sed nomine vnctionis intelligitur vnio hypostatica, vt docent plures Patres relati à Vasquez, disput. 41. cap. 1. particula autem propterea, significat causalitatem meritoriam; ergo Christus diligendo iustitiam, & odio habendo iniquitatem meruit vnionem per vnionem hypostaticam, à qua vnctione dicitur Christus, quod idem significat, ac vnctus. Apocalypsis etiam s. dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & honorem, & diuinitatem;* ergo Christus post mortem meruit esse diuinitatem, & vnionem hypostaticam.*

2. Secundo videntur Beata Virgo, & antiqui Patres meruisse Incarnationem, illam desiderando, & petendo, ideoque de Beata Virgine canit Ecclesia, quod *meruit portare Regem Cælorum, & Dominum.*

3. Respondeo aliquos Pelagianos, teste Cassiano, lib. 1. & 7. de Incarnatione, docuisse Christum ab initio fuisse purum hominem, ac meruisse sibi, vt heret Deus. Eundem errorem docuerat multo ante Photinus, teste Augustino, lib. de dono perseverantiæ, cap. ultimo. Origines autem lib. 2. Periarchon, cap. 6. docuit animam Christi simul cum animabus aliorum hominum creatam fuisse ab initio mundi, & vnitam hypostaticè Verbo, ac diligendo iustitiam, & odio habendo iniquitatem, meruisse Incarnationem, qua post aliquot annorum millia Verbum vnitum est carni, cum anima illa infusa est corpori formato in utero Virginis.

4. Contra istos errores de fide est, humanitatem Christi non prius tempore extitisse, quam vniretur Verbo, & animam Christi non prius tempore creatam fuisse, quam vniretur corpori, ac simul cum corpore assumetur à Verbo, ac proinde humanitatem, & animam Christi non meruisse vnionem hypostaticam per aliquod meritum tempore præcedens Incarnationem.

5. Quæritur, vtrum saltem humanitas Christi, vel eius anima meruerit vnionem hypostaticam per aliquod meritum præcedens, non tempore, sed natura incarnationem?

6. Respondet negatiuè Sanctus Thomas, quem omnes sequuntur, idemque vt certum dogma docuerat Augustinus pluribus locis, nimirum in Enchiridio, cap. 40. lib. 13. de Trinitate, cap. 17. lib. de prædeterminatione Sanctorum, cap. 15. lib. de dono perseverantiæ, cap. ultimo, & alibi passim. Audiatur in Enchiridio, cap. 26. *Quidnam natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitate persone vniuerit Filij Dei singulariter esse assumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur esse homo, vt vna fieret persona cum Deo? Ideo vt docet Vasquez 3. p. disput. 31. cap. 1. num. 6. certissimum censeretur debet, bonum vnionis hypostaticæ fuisse gratis humanitati collatum, nullis præcedentibus meritis humanitatis, & oppositum non solum est temerarium, sed etiam erroneum.*

7. Probatur hæc veritas ratione. Nam qualibet natura substantialis connaturaliter prius natura subsistit, supponitur, & si sit rationalis, personatur, & deinde operatur: ex. gr. natura Petri prius constituitur in supposito, & persona Petri, deinde operatur, intelligendo, volendo &c. sed humanitas Christi subsistit, supponitur, & personatur per substantiam Verbi; ergo humanitas Christi prius natura per vnionem hypostaticam assumpta est à Verbo, deinde exercuit actus meritorios; sed per actus meritorios non meruit id, quod supponebatur habere, antequam mereretur; ergo per actus meritorios non meruit vnionem hypostaticam. Probatur, & explicatur maior. Primo enim natura accidentaliter connaturaliter prius natura est in subiecto, deinde agit; ergo natura substantialiter connaturaliter prius natura subsistit per se, vel in alio, deinde operatur. Secundo anima rationalis connaturaliter prius natura vnitur corpori, deinde operatur, intelligendo, & volendo; ergo natura substantialiter prius natura est in supposito, deinde operatur. Ratio vtriusque est, quia substantia habet suum esse substantiale, deinde per operationem procedit ad acquirendum esse accidentale; sed substantia, & vnio animæ rationalis cum corpore, spectant ad esse substantiale; ergo &c. Tertio est principium commune, quo vtitur S. Thomas 3. quæst. 7. art. 15. in corpore, & Ioannes Theologus in Concilio Florentino, sect. 18. post mediam

dium, *actiones sunt suppositorum*. Desumptum est autem hoc principium ex doctrina Aristotelis pluribus in locis, ac præsertim primo de anima, textu 14. vbi dicit, non tam animam irasci, misereri, & ratiocinari, quam hominem anima, & ex Damasceno lib. 3. de Fide, cap. 15. vbi dicit operantem esse hypostasim, seu suppositum; sed eatenus actiones sunt suppositorum, in quantum procedunt à natura, vt prius suppositata; ergo &c. Ideo communiter dicitur suppositum esse principium quod, naturam esse principium quo actionum. Vt autem principium quod actionum sit suppositum, non requiritur, vt ipsa supposititas concurrat effectiue ad actiones, sed sufficit, vt sit conditio prærequisita in natura ad agendum.

8. Debet aduerti primo, quod iuxta sententiam satis communem, quæ docet naturas creatas producere in se ipsis proprias personalitates, axioma illud, *actiones sunt suppositorum*, debet intelligi, excepta actione, qua natura producit propriam supposititalitatem. Iuxta illam igitur opinionem, natura in priori signo producit propriam supposititalitatem, qua perficitur substantialiter, deinde exercet alias operationes, quibus perficitur accidentaliter.

9. Secundo debet aduerti posse concedi, vel transmitti humanitatem, vel animam Christi potuisse de potètia absoluta mereri de congruo vnionem hypostaticam per aliqua merita præcedentia tempore, vel natura vnionem hypostaticam: & hoc videtur admittere Gaieranus in commentario huius art. 11.

10. Tertio debet aduerti posse etiam concedi, vel transmitti humanitatem Christi meruisse sibi de condigno reproductionem, & perpetuitatem vnionis hypostaticæ. Confirmatur hoc. Nam humanitas Christi per mortem fuit corrupta, ideoque corrupta est vnio hypostatica cum tota humanitate, licet remanserit vnio hypostatica cum partibus humanitatis, anima nimirum, & corpore separatis: sed Christus moriendo, meruit sibi resurrectionem, & vitam æternam humanitatis post resurrectionem; ergo meruit reproductionem, & æternam conseruationem vnionis hypostaticæ cum humanitate post resurrectionem. Ideo psalm. 20. de Christo dicitur: *Vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi*, quia Christus in cruce orans petijt à Deo resurrectionem, & vitam æternam humanitatis post resurrectionem. Videri potest Vasquez 3. p. disp. 21. cap. 8.

11. Posito, quod Christus non meruerit sibi vnionem hypostaticam, & incarnationem, quæritur, vtrum aliqua pura creatura, & præsertim Beata Virgo, & antiqui Patres meruerint, aut potuerint mereri de condigno, vel de congruo incarnationem?

12. Dicendum primo cum Sancto Tho-

ma hoc art. 11. nulla pura creatura potest mereri de condigno incarnationem, ac proinde Beata Virgo, & antiqui Patres non meruerunt de condigno, vt Verbum incarnaretur. Probat primo S. Thomas. Nam beatitudo consistens in visione, & fruitione Dei est condignum præmium, & æquale merito cuiuscumque puræ creaturæ dignificatæ per quamlibet gratiam adoptionis: ergo bonum altioris ordinis, quam beatitudo consistens in visione Dei, est præmium excedens meritum, cuiuscumque puræ creaturæ, ac proinde est præmium non condignum; hoc est æquale, sed supra condignum; sed vnio hypostatica est bonum altioris ordinis, quam beatitudo consistens in visione, & amore Dei: talis enim beatitudo coniungit Deo accidentaliter, vnio hypostatica coniungit Deo substantialiter in vnitatem hypostatis: ergo &c.

13. Probat secundo. Nam ideo prima gratia ad merendam non potest cadere sub merito, quia est principium meriti: principium autem meriti non potest cadere sub merito, vt sæpè assumit Augustinus contra Pelagianos; sed vnio hypostatica non solum fuit principium omnis meriti Beatæ Virginis, & antiquorum Patrum, sed etiam fuit principium omnis gratiæ ad merendum; siquidem post lapsum Adæ omnis gratia data est hominibus ex meritis Christi, iuxta illud Ioann. 1. *Gratia, & veritas per Iesum Christum*; ergo nullus homo post peccatum potuit mereri incarnationem. Hæc ratio probat quidem homines post peccatum Adæ, supposito, quod omnem gratiam ad merendum habuerunt ex meritis Christi, non potuisse de condigno, imò nec de congruo mereri incarnationem, at non probat non potuisse illam mereri in casu, in quo gratiam ad merendum acceperunt, non ex meritis Christi, sed ex pura liberalitate Dei, vt ex pura liberalitate acceperunt Angeli, ac primi parentes ante lapsum, vt dictum est quæst. 17. Potest tamen hæc ipsa ratio ita explicari, vt probet vniuersim nullam puram creaturam posse mereri de condigno incarnationem. Nullum enim meritum non merens de condigno quodlibet præmium, sed solum præmium determinatum, potest mereri de condigno quodlibet præmium maius, & maius sine termino; sed quodlibet meritum puræ creaturæ non meretur de condigno quodlibet præmium, sed solum præmium determinatum; ergo nullum meritum puræ creaturæ potest mereri de condigno vnionem hypostaticam, quæ vt dictum est quæst. 7. est principium merendi quodlibet præmium, maius, & maius sine termino.

14. Probat tertio. Nam nullus purus homo potest mereri de condigno reformationem totius naturæ per peccatum lapsæ: siquidem nulla pura creatura potest mereri de-

condigno remissionem peccati mortalis, vt dictum est lib. 6. de gratia, qu. 101. sed vno hypostatica est principium merendi de condigno reformationem totius naturæ per peccatum lapsæ: ergo &c.

15. Dicendum secundo: potest pura creatura ex viribus gratiæ mereri de congruo Incarnationem. Probat. Nam potest pura creatura ex Dei liberalitate eleuari, per gratiam ad amandam, & desiderandam incarnationem propter se ipsam; sed actus, quo quis ex viribus gratiæ amat, & desiderat aliquod bonum supernaturale propter se ipsum, meretur de congruo à Deo consecutionem talis boni, vt ex doctrina S. Augustini dixi lib. 6. de Gratia, qu. 76. & 77. ergo &c.

16. Dicendum tertio: de facto neque B. Virgo, neque antiqui Patres, neque vllus homo post lapsum meruit de congruo Incarnationem quo ad substantiam, sed solum quoad aliquas circumstantias.

Probat. Nam prima gratia, quia est principium meriti, non potest neque de condigno, neque de congruo cadere sub meritum, cuius est principium; sed Incarnatio secundum suam substantiam est principium homini post lapsum non solum omnis meriti, sed etiam omnis gratiæ ad merendum; ergo post lapsum nullus homo potuit, neque de condigno, neque de congruo mereri incarnationem secundum substantiam, in sensu composito cum hoc, quod incarnatio sit principium meriti: ergo solum; potuerunt mereri, ac de facto meruerunt aliquas circumstantias incarnationis, vt cum communi sententia contra aliquos Thomistas docentes Patres antiquos meruisse de congruo ipsam substantiam incarnationis, docet Vasquez disp. 13. cap. 4. & 5. Beata igitur Virgo neque de congruo meruit, vt Verbum incarnaretur, sed posito, quod Verbum esset incarnandum, meruit de congruo, vt ex ipsa carnē assumeret, & sic de congruo meruit maternitatem. Abraham per obedientiam, qua voluit immolare filium suum, & Isaac per obedientiam, qua voluit immolari à patre, meruerunt de congruo, vt Christus ex ipsis nasceretur; ideoque Gen. 22. dictum est Abrahæ: *per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia non peperisti vnigenito filio tuo propter me &c. benedicentur in semine tuo omnes gentes, quod semen est Christus, vt docet Apostolus ad Galatas 3.*

17. Contra hanc doctrinam opponi potest primò. Sicut nullus actus malus potest mereri de condigno penam anticipatam, ideoque nemo potest iuste puniri propter peccata, quæ nondum commisit, sic nullus actus bonus potest mereri de condigno præmium anticipatum: ergo Christus non potuit mereri de condigno gratiam datam Beatæ Virgini, & Sanctis Patribus ante Incarnationem. Meruisset enim præmium anticipatum.

18. Respondeo distinguo antecedens;

nullus actus bonus finitè meritorius potest mereri de condigno præmium anticipatum, concedo; infinitè meritorius, nego; & nego consequentiam. Actus finitè meritorij, & demeritorij merentur præmium, & penam determinatam, etiam quoad circumstantiam temporis, ideoque conferendam post ipsos, non ante ipsos actus. At actus Christi, quia sunt infinitè meritorij, ac dignificantur dignitate personæ diuinæ, quæ dignitas semper est, merentur quodlibet præmium, ac proinde mereri possunt de condigno etiam præmium anticipatum.

19. Opponi potest secundo. Si Christus meruit de condigno Beatæ Virgini, & Patribus gratiam, per quam meriti sunt de congruo, vt ipse Christus nasceretur ex ipsis, data est mutua prioritas inter merita Christi, & merita Beatæ Virginis, & Sanctorum Patrum: quod est absurdum. Probat. sequela. Nam meritum præsertim condignum est prius natura, quam præmium; sed gratia, & merita Patrum fuerunt præmium meritum Christi: ergo merita Christi fuerunt priora natura, quam gratia, & merita Patrum; sed Beata Virgo, & Patres meruerunt de congruo, vt Christus nasceretur ex ipsis, ac proinde meruerunt illam actionem, qua Christus natus est ex ipsis: ergo merita Beatæ Virginis, ac Patrum fuerunt priora natura actione, qua Christus natus est ex Virgine, & ex Patribus; sed quod est prius natura actione, est etiam prius natura termino per actionem producto: ergo merita Beatæ Virginis, & Patrum fuerunt priora natura Christo, & à fortiori fuerunt priora natura meritis Christi, ac proinde inter merita Christi, ac merita Beatæ Virginis, & Patrum, datur mutua prioritas naturæ.

20. Respondeo, distinguo antecedens: data esset mutua prioritas naturæ, qua merita Christi, & Patrum se mutuo præcederent secundum eandem existentiam, nego; secundum diuersam existentiam, concedo. Non repugnat, vt duo sint mutuo priora natura secundum diuersam existentiam, ita vt vnum sit prius alio secundum existentiam intentionalem, sit posterius eodem secundum existentiam physicam: ex. gr. medium est prius natura sine secundum existentiam physicam ipsius finis, puta medicina est prior natura sanitate secundum existentiam physicam ipsius sanitatis, quam causat; medium è conuerso finis secundum existentiam intentionalem, per quam existit in cognitione, & intentione, est prior natura, quam medium: ex. gr. cognitio, & intentio sanitatis est prior natura sumptione medicinz, cum talem sumptionem causet. In casu nostro merita Christi secundum existentiam intentionalem, qua extiterunt in diuina cognitione, & decreto, quo Deus voluit Christum ponere, eique dare actus meritorios, fuerunt priora natura gratiæ & meritis Patrum; merita autem, & gratiæ Patrum

Patrum fuerunt priora natura Christo, eiusque meritis secundum existentiam physicam, qua Christus, & eius merita extiterunt in se ipsis. Deus igitur vidit, quod si poneret Christum, & daret illi hæc merita, Christus per hæc merita, utpotè infinita, mereretur de condigno quodlibet præmium, quod talia merita possent causare, non solum per suam existentiam physicam, postquam ponerentur, sed etiam quod possent causare per suam existentiam intentionalem, quam haberent in decreto efficaci ponendi Christum cum his meritis. Dependenter ab hac scientia Deus decreuit ponere Christum cum his meritis, & dare illi in præmium causandum per existentiam intentionalem, gratiam, & merita Patrum, per quæ mererentur, & causarent Christum, eiusque merita secundum existentiam physicam, quam habent in se ipsis, proportionaliter ad dicta de causa finali.

21. Dices primo: meritum debet causare præmium per suam existentiam physicam; ergo merita Christi per suam existentiam physicam causarunt merita Sanctorum Patrum; sed merita Christi secundum eandem existentiam physicam fuerunt causata à meritis Patrum: ergo merita Christi secundum eandem existentiam physicam fuerunt priora, & posteriora natura meritis Patrum.

22. Respondeo, distingo antecedens: meritum in genere causæ motiuae, & meritoriae, quæ causæ non habent propriam prioritatem naturæ, debet causare præmium per suam existentiam physicam, concedo: in genere causæ efficientis, quæ habet propriam prioritatem naturæ, nego maiorem; concedo minorem; & distingo consequens: ergo inter merita Christi, & Patrum datur mutua prioritas propria, nego: impropria, concedo consequentiam. Persistendo in allato exemplo finis, & medij, finis dupliciter causat positionem mediorum, finaliter nimirum, & efficienter. Finis positionem mediorum causat finaliter per suam existentiam physicam; siquidem media ponuntur, ut finis physicè, ac non solum intentionaliter existat. At idem finis per cognitionem, & intentionem sui causat positionem mediorum efficienter. Idem finis secundum existentiam physicam non habet propriam prioritatem naturæ respectu mediorum, sed solum impropria, & latam, in quantum omnes causæ dicuntur aliquo pacto priores natura respectu suorum effectuum. At finis secundum existentiam intentionalem habet propriam prioritatem naturæ respectu mediorum. Non repugnat autem, ut duo sint mutuo priora natura secundum eandem existentiam, alterum propriè, alterum impropriè. Proportionaliter meritum in genere causæ meritoriae, & motiuae causat præmium per suam existentiam physicam; siquidem præmiarius vult dare præmium

Tom. III.

merito, quia meritum per suam existentiam physicam est dignum præmio. At meritum in genere causæ efficientis causat præmium anticipatum, non per suam existentiam physicam, sed per intentionalem, per quam intentionaliter existit in decreto Dei: Causa, ut præcisè meritoria, & motiua, habet prioritatem naturæ solum latam, & impropria. Causa efficiens, & materialis, earumque condiciones habent prioritatem naturæ propriam, & strictam. Mutua autem prioritas naturæ ex vna parte propria, ex alia impropria non repugnat: sola mutua prioritas naturæ propria repugnat.

23. Dices secundo: per hanc doctrinam causa meritoria confunditur cum finali.

Respondeo non confundi. Nam licet causa meritoria, & finalis conueniant in hoc, quod sunt causæ motiuae, tamen differunt per hoc, quod diuerso modo mouent? Motio causæ finalis explicatur, dicendo, quod effectus causæ finalis ponitur, ut finis sit, ut cum dicimus, quod medicina sumitur, ut acquiratur sanitas. Motio causæ meritoriae explicatur, dicendo, quod effectus, & præmium meriti ponitur, non ut meritum sit, sed quia meritum est: puta beatitudo datur beatis, non ut mereantur, sed quia meriti sunt beatitudinem. In casu nostro Deus dicit: volo ponere Christum, & dare illi hæc merita: & quia Christus habens hæc merita, dignus est quolibet præmio, etiam anticipato, ac quod possit causare efficienter per suam existentiam intentionalem in hoc ipso decreto, volo dare illi in præmium gratiam, & merita, quibus Patres mereantur de congruo, ut Christus nascatur ex ipsis. Et quia Patres per sua merita hoc ipsum merebuntur de congruo, volo dare Patribus in præmium, ut Christus nascatur ex ipsis, & sic volo ponere Christum per actionem, qua nascatur immediatè ex Virgine, mediatè ex Abraham, Isaac, David &c. Hic modus decernendi non repugnat, & per ipsum saluatur tota nostra doctrina sine mutua propria prioritate naturæ, ut explicatum est.

24. Dices tertio: decretum, quo Deus vult dare Christo merita, est prius natura ipsis meritis: sed ipsa merita sunt etiam mutuo priora decreto, & scientia media, à quo illud decretum dirigitur: ergo datur mutua prioritas naturæ inter decretum, & merita.

Respondeo, decretum esse physicè prius natura, quam merita; merita autem solum logicè esse priora natura, quam decretum, siquidem causant decretum per suam existentiam conditionatam, quæ est solum logicè, ut explicauit lib. 2. de Deo quæst. 25. in respons. ad 3. num. 12. 13. & 14. Difficultas enim est propria illius loci, in quo agitur de mutua prioritate inter scientiam mediam, & prædefinitiones actuum liberorum, & ipsos actus liberos.

25. Infertur Christum meruisse Beatæ Virgini etiam ipsam maternitatem physicam;

L

Cum

Cum enim physica maternitas sit fundamentum totius gratiæ, quam Beata Virgo habuit, inconueniens est, vt Beata Virgo habuerit maternitatem physicam, non ex meritis Christi. Ex proportionali ratione Christus meruit Patribus antiquis, vt physicè essent progenitores ipsius Christi.

26. Ad 1. locus ille psal. 44. *Dilexisti iustitiam &c.* duobus præcipuis modis exponitur à Catholicis. Prima expositio S. Augustini in commentario eius loci concedit per oleum lætitiæ significari vnionem hypostaticam, sed particulam *propterea* ita explicat, vt significetur dilectionem iustitiæ, & odium iniquitatis fuisse causam finalem, non autem meritoriam vnctionis, ac sensus sit: dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, quia Deus vnxit te oleo lætitiæ, dando tibi vnionem hypostaticam. Secunda expositio Hieronymi epist. 144. ad Principiam, concedit ly *propterea* significare Christum diligendo iustitiam, & odio habendo iniquitatem, meruisse vnctionem, sed nomine vnctionis intelligit, non primam acceptionem vnionis hypostaticæ, sed gloriam corporis, quam Christus accepit in resurrectione, quia in passione, & morte dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem, moriendo, vt satisfaceret diuinæ iustitiæ, & deleteret nostras iniquitates. Ideò hunc locum psalmi videtur explicare Apostolus ad Philipenses 2. dicens: *humiliauit semetipsum &c. propter quod & Deus exaltauit illum &c.* Vtrobilibet modo explicetur, non probat Christum meruisse sibi vnionem hypostaticam. Addo Christum per mortem meruisse resurrectionem, per quam humanitas fuit rursus producta, & rursus vnita Verbo, secundum se totam. Locus Apocalypsis, *dignus est agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem*, significat Christum meruisse, vt resurgens rursus acciperet vnionem hypostaticam diuinitatis cum tota humanitate, vt modo explicauimus.

27. Ad 2. patet ex dictis. Concessum enim est Beatam Virginem, & antiquos Patres meruisse de congruo, vt Christus nasceretur ex ipsis.

QVAESTIO XXXI.

Virum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis?

S. Thom. quest. 2. art. 12.

1. Videtur non fuisse naturalis Christo. Repugnat enim, vt gratia sit naturalis.
2. Respondeo ex Aristotele 5. metaphysicæ, textu 5. naturale dici dupliciter. Primò naturale dicitur, quod fluit ab ipsa essentia, & natura rei, & hoc pacto moueri sursum dicitur naturale igni. Secundo naturale dicitur, quod rei conuenit à natiuitate, præsertim si conueniat propter ipsum modum natiuitatis.

In hoc sensu ad Ephesios 2. dicuntur homines natura filij iræ, & sapientiæ 12. dicitur: *Necquam est natio eorum, & naturalis nequitia eorum.*

3. His positis, dicendum primò: gratia vnionis, & gratia habitualis non fuit Christo primo modo naturalis secundum naturam humanam, sed fuit Christo naturalis secundum naturam diuinam.

4. Probatur: nam naturale primo modo dicitur, quod fluit à natura; sed gratia vnionis, & gratia habitualis non fluxit à natura humana Christi, sed à natura diuina fluxit in humanam: ergo non fuit naturalis Christo secundum naturam humanam, sed fuit illi naturalis secundum naturam diuinam.

5. Dicendum secundò: gratia vnionis, & gratia habitualis fuit Christo naturalis secundo modo.

Probatur: nam naturale secundo modo dicitur, quod conuenit rei à natiuitate, præsertim si conueniat propter ipsum modum natiuitatis; sed Christo ab ipsa prima natiuitate, qua conceptus, & natus est in vtero Virginis, conuenit vtraque gratia, & conuenit propter modum conceptionis, & natiuitatis, quo conceptus, & natus est de Spiritu Sancto, vt idem esset filius naturalis Dei, & hominis: ergo &c. Ideo Augustinus in Enchiridio, cap. 40. dicit: *In humana natura susceptione fit quodammodo gratia illi homini naturalis, qua nullum possemittere peccatum.*

6. Ad argumentum in contrarium, respondeo repugnare gratiæ, vt illi naturæ, cui confertur, tamquam bonum gratuitum, sit naturalis primo modo, ita vt ex ipsa fluat, sed non repugnare, vt sit naturalis illi naturæ, qua confertur gratis gratiam alteri naturæ. Rursus dico non repugnare gratiæ, vt sit naturalis illi secundo sensu, hoc est vt alicui conueniat à natiuitate, & propter ipsum modum natiuitatis.

QVAESTIO XXXII.

Virum Persona diuina conueniat assumere naturam creatam?

S. Thom. qu. 3. art. 1.

1. Videtur non conuenire. Vt enim Persona diuina posset assumere, deberet substantia diuina esse infinite perfecta, & sic continere eminenter perfectionem cuiuslibet substantiæ creatæ; sed substantia diuina secundum se præcisè nullam dicit perfectionem, vt plures Theologi docent; ergo &c.
2. Respondeo, quod Sanctus Thomas postquam quæst. 2. egit de vnione hypostatica secundum se, quæst. 3. per octo articulos agit de vnione ex parte personæ assumpti. Articulo ergo primo quærit, vtum Persona diuinæ conueniat assumere, non quidem conuenientia decentiæ, de qua egit quæst. 1. art. 1. sed

sed convenientia affirmabilitatis, qua verè, & propriè affirmetur Personam diuinam assumptisse naturam creatam. Respondet affirmatiuè. Probat: nam assumere est ad se sumere, ideoque dicitur duo, hoc est esse principium, & esse terminum sumptionis; sed Persona diuina fuit principium sumptionis; siquidem Personæ, & supposito conuenit agere: fuit etiam terminus sumptionis: nam ex dictis quæst. 2. art. 1. & 2. vnio facta est, non in natura, sed in persona; ergo Persona diuina propriissimè assumpsit naturam humanam.

Debet aduertiri, quod cum assumere dicatur duo, nimirum esse principium, & esse terminum actionis assumptiuæ, primum est commune omnibus tribus Personis diuinis; siquidem actiones ad extra sunt communes toti Trinitati: secundum conuenit soli Filio, cum de factò solus Filius sua subsistentia terminet humanitatem Christi, illamque reddat subsistentem.

3. Quæritur, vtrum hoc, quod est, Verbum terminare naturam humanam, importet aliquam causalitatem. Negat Scotus in 3. dist. 1. qu. 5. & Caietanus in Commentario huius articuli. Probabilius est, quod importet causalitatem quasi formalem. Ratio est, quia subsistentia Verbi constituit naturam humanam Christi formaliter subsistentem; sed hoc est exercere causalitatem quasi formalem: ergo &c.

4. Dum opponitur, quod omnis causalitas ad extra est communis toti Trinitati, distinguo: omnis causalitas efficiens, concedo; quasi formalis, nego. Dum rursus opponitur Deum non posse supplere causam formalem, dico, hoc non esse vniuersaliter verum. Aliquando enim potest, cum tale supplementum non importat imperfectionem, sicut non importat in casu nostro.

5. Addo, quod vt dixi quæst. 23. & vt docet S. Thomas hoc art. 1. ad 2. quem sequuntur Caietanus in Commentario, Durandus in 3. dist. 1. & Vasquez 3. par. disp. 25. contra Scotum in 3. dist. 1. quæst. 4. Gabrielem ibid. quæst. 2. Ocham ibidem, quæst. 1. & alij, Persona diuina propter infinitatem suæ subsistentiæ, qua continet eminenter omnes creatas subsistentias, potest terminare, & reddere subsistentes naturas alienas; Personæ autem creatæ, quia habent subsistentias limitatas, non possunt reddere subsistentes naturas alienas. Hinc sequitur assumere naturam alienam esse ita proprium suppositi, ac Personæ diuinæ, vt nullum suppositum, & nulla persona creata possit assumere naturam alienam: ex. gr. Angelus non potest assumere naturam hominis, & fieri homo, homo non potest assumere naturam canis, & fieri canis.

6. Ad argumentum in contrarium, respondeo, quod licet admittatur subsistentiam diuinam non dicere vllam perfectionem distinctam ab essentia diuina, tamen realiter habet secum identitatem infinitam perfectionem.

Tom. III.

nem essentiæ diuinæ, ideoque est infinite perfecta, & potest reddere subsistentes omnes naturas creatas.

QVÆSTIO XXXIII.

Virum natura diuina conueniat assumere naturam creatam?

S. Th. qu. 3. art. 2.

1. **V**idetur non conuenire. Quæ enim conueniunt naturæ diuinæ, conueniunt omnibus Personis diuinis: ergo si natura diuina assumpsisset naturam creatam, & fuisset incarnata, omnes tres Personæ assumpsissent naturam creatam, & fuissent incarnatæ: quod est hæreticum.

2. Respondeo, Personam primario assumere, naturam autem diuinam assumere secundario naturam humanam in sui personam. Probat: nam cum assumere sit esse principium, & esse terminum assumptionis, illud primo dicitur assumere, quod ratione sui, & ratione suorum constitutiuiorum, est simul principium, & terminus assumptionis; sed persona Filij constituitur per naturam diuinam, & personalitatem, & est principium assumptionis ratione naturæ diuinæ, est terminus assumptionis ratione personalitatis, qua naturam humanam terminat, & reddit subsistentem: at naturam diuinam, licet ratione sui sit principium assumptionis, tamen est terminus assumptionis, non ratione sui, sed ratione personæ, & subsistentiæ Filij, qua naturam humanam terminat: ergo &c.

3. Addit Sanctus Thomas, quod sicut natura diuina, ratione Personæ Filij dicitur assumpsisse carnem, sic ratione Personæ Filij dicitur incarnata, non quia sit conuersa in carnem, vt dicebant Eutyriani, sed quia naturam carnis assumpsit in sui Personam, iuxta illud Damasceni lib. 3. de fide, cap. 6. *Dicimus naturam Verbi incarnatam esse secundum Athanasium, & Cyrillum.* Licet autem Damascenus, & alij Patres concedant naturam Verbi fuisse incarnatam, tamen non concedunt Deitatem, vel naturam diuinam fuisse incarnatam, non exprimendo Verbum. Ideo Damascenus eodem lib. 3. cap. 11. propè finem dicit. *Quod autem Deitas homo facta sit, aut incarnata, aut humanata, nullo pacto audiuimus. At quod Deitas vnica sit humanitati in vna sui ipsius hypostaseos, dicimus.* Ratio est, quia dicendo Deitatem fuisse incarnatam, non exprimendo Verbum, videtur significari Deitatem fuisse incarnatam primo, & per se, & non solum secundario, in quantum Verbum est incarnatum.

4. Ad argumentum in contrarium: quæ conueniunt naturæ diuinæ immediatè secundum se, conueniunt omnibus Personis: at quæ conueniunt naturæ diuinæ ratione vnus

Personæ, non necessariò conueniunt alijs Personis. In casu nostro natura diuina incarnata est ratione Personæ Filij: ideò non sequitur alias Personas fuisse incarnatas, vt magis explicabitur inferiùs.

QVÆSTIO XXXIV.

Virum Verbum sit vnitum immediatè humanitati, non solum secundum personalitatem propriam, sed etiam secundum naturam communem?

1. **V**idetur Verbum vnitum fuisse immediatè humanitati, & carni, non solum secundum suam personalitatem propriam, sed etiam secundum naturam communem: primo, quia personalitas Verbi realiter identificatur cum natura diuina: ergo non potuit immediatè vniri personalitas, quin immediatè vniretur natura diuina.

2. Secundò Personalitas Verbi secundum se præcisè nullam dicit perfectionem, vt dixerunt plures Theologi: ergo non potuit secundum se præcisè immediatè vniri, ac terminare, & perficere naturam creatam.

3. Tertio ex doctrina communi, & certa, speciali modo vnita est carni natura diuina, ac personalitates Patris, & Spiritus Sancti; sed personalitates Patris, & Spiritus sancti vnitè sunt humanitati mediatè: ergo natura diuina vnita est non solum mediatè, sed etiam immediatè.

4. Respondeo, quod quia Verbum immediatè est vnitum humanitati, & carni; Verbum autem includit duo, nimirum naturam communem, & personalitatem propriam, quæritur, vtrum Verbum vnitum sit humanitati, & terminauerit immediatè vnionem hypostaticam, tum secundum naturam communem, tum secundum personalitatem propriam, an verò secundum alteram tantum?

5. Prima sententia Durandi in 3. dist. 1. & 4. & distinct. 5. quæst. 1. & Capreoli in 3. dist. 1. quæst. vnica, docet humanitatem vnitam fuisse immediatè Verbo, duplici vnione, altera, qua vniatur immediatè Personalitati relatiuæ, quæ est propria Verbi, altera, qua vniatur subsistentiæ absolutæ, quæ est communis toti Trinitati, quam subsistentiam absolutam Capreolus putat esse ipsam diuinam existentiam. Existimant nimirum Durandus, & Capreolus in Trinitate vltra tres personalitates relatiuas dari subsistentiam absolutam communem toti Trinitati.

6. Secunda sententia Nominalium docet humanitatem per vnã tantum vnionem vniri immediatè Personæ Verbi, in quantum includit, tum naturam communem, tum personalitatem propriam, ita vt humanitas equè immediatè vnita fuerit personalitati propriæ, ac naturæ communi.

7. Tertia sententia Caietani in Commentario huius loci, Suarij disput. 12. sect. 2. Valquez disput. 26. cap. 3. aliorumque communis, quæ tribuitur etiam Haleasi, Bonauenturæ, Scoto, & pluribus alijs, docet humanitatem vniri immediatè Verbo solum secundum personalitatem propriam, secundum autem naturam communem vniri tantum mediatè.

8. Dicendum primo contra Durandum, & Capreolum: humanitas non vnitur Verbo duplici vnione, quarum altera vniatur immediatè personalitati propriæ Verbi, altera subsistentiæ, vel existentiæ communi toti Trinitati.

9. Probatum primo: nam Concilium Tolletanum 6. cap. 1. dicit: *Et cum tota Trinitas cooperata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepti humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id est in eo, quod est proprium Filij, non quod commune est Trinitati: eadem ferè verba habentur in Concilio Tolletano 11. in confessione fidei: ergo ex doctrina Concilij Verbum vnitum est humanitati, & vnionem terminauit secundum proprium, non secundum commune: sed iuxta Durandum, & Capreolum Verbum vnitum esset immediatè, non solum secundum aliquid proprium, sed etiam secundum aliquid commune: ergo &c. Confirmatur ex S. Augustino, qui sermone tertio de tempore, loquens de Filio Dei, dicit: *Suscepit carnem proprietate: & paulò post expressius: In carne sola filij proprietatis; sed si natura fuisset immediatè vnita, non solum proprietatis, sed etiam natura Filij esset aequè immediatè in carne: ergo &c.**

10. Probatum secundo ratione, quam innuat Concilium. Nam quia Verbum est principium immediatè effectiuum incarnationis, & vnionis secundum naturam communem, non solum Verbum, sed tota Trinitas est principium effectiuum incarnationis, & vnionis: ergo si Verbum esset terminus immediatus vnionis, & vniretur immediatè humanitati, non solum secundum proprietatem personalem, sed etiam secundum naturam communem, non solum Verbum, sed tota Trinitas terminaret vnionem, & immediatè vniretur Trinitati, ac tota Trinitas incarnaretur, quod est hæreticum.

11. Respondet Durandus solum Verbum esse incarnatum, quia solum terminat immediatè vnionem, non tantum secundum naturam communem, sed etiam secundum personalitatem propriam.

12. Sed contra. Nam ex hoc sequitur quidem Verbum esse dupliciter, ac duplici vnione incarnatum, sed non sequitur solum Verbum fuisse incarnatum: sicut si Verbum fuisset principium effectiuum vnionis, non solum secundum naturam communem, sed etiam secundum personalitatem propriam, dupliciter esset principium, & nihilominus etiam Pater, & Spiritus Sanctus essent principium effectiuum

atum vnionis; ratione naturæ communis.

13. Dicendum secundo cum tertia sententia contra Nominales: Verbum vnitum est immediatè humanitati solùm secundum personalitatem propriam, non autem secundum naturam communem. Probatur primo: nam Concilium Toletanum supra citatum dicit, Filium Dei vnitum fuisse naturæ humanæ in eo, quod est proprium filij, non quod commune est Trinitati: S. Augustinus etiam citatus dicit in carne esse solam Filij proprietatem; sed si Verbum fuisset vnitum æquè immediatè in personalitate, ac in natura, vnitum fuisset æquè immediatè in eo, quod est commune Trinitati, ac in eo, quod est proprium Filij, & in carne eodem modo esset Filij proprietates, ac natura communis: ergo &c.

14. Respondere possunt Filium Dei vnitum fuisse immediatè in eo, quod est proprium, non in eo, quod est commune, quia vnitum fuit immediatè, & indiuisibiliter in complexo ex natura, & personalitate, quod complexum est proprium, non in natura secundum se, quæ est communis.

15. Sed contra: nam qui dicit alicui constanti ex proprio, & communi, aliquid conuenire secundum proprium, non secundum commune, non significat illud conuenire secundum complexum ex proprio, & communi, sed secundum proprium, prout contradistinguitur à communi; ergo &c. Probatur, & explicatur antecedens. Nam qui dicit hominem mori, & corrumpi secundum id, quod est materiale, non secundum id, quod est spirituale, non significat hominem mori, & corrumpi secundum complexum, quod est materiale, ita vt vtraque pars complexi, nimirum anima, & corpus moriatur, sed solùm significat hominem mori, & corrumpi secundum materiale contradistinguitur ab anima spirituali, hoc est secundum corpus: ergo à pari.

16. Probatur secundo ratione. Nam Persona Verbi vnita est immediatè naturæ humanæ solùm secundum id, per quod poterat immediatè substantialitèr complere naturam humanam; sed per solam substantiam, & personalitatem propriam potest immediatè substantialitèr complere naturam: ergo &c. Probatur minor. Natura enim humana Christi in ratione naturæ est completa, & solùm est incompleta in ratione substantiæ, cum careat propria substantia: ergo Persona diuina potest immediatè complere naturam humanam per solam substantiam, & personalitatem, non autem per naturam.

17. Probatur tertio. Nam per hanc sententiam explicantur aliqua circa mysterium incarnationis melius, quam per sententiam oppositam: ergo &c. Probatur antecedens. Primo enim explicatur, quo pacto facta sit vnio in persona, & non in natura. Ratio est, quia Persona Verbi vnita est immediatè hu-

manitati secundum substantiam, non secundum naturam Verbi. Secundo explicatur, quo pacto duæ naturæ vnitæ sint in persona, non in natura. Ratio est, quia natura diuina non est vnita immediatè naturæ humanæ, sed solum mediatè, in quantum vnita est personalitas Verbi. Tertio explicatur, quo pacto, sicut in Trinitate tres Personæ sunt vnum in natura, non autem in persona, sic in Christo duæ naturæ sint vnum in persona, non autem in natura. Ratio est, quia sicut tres personæ sunt Deus per vnam naturam diuinam, sic in Christo duæ naturæ subsistunt per vnam personalitatem diuinam.

18. Quæritur, vtrum sicut de facto sola personalitas propria Filij vnita est immediatè naturæ humanæ, sic sola natura diuina communis toti Trinitati potuisset immediatè substantialitèr vniri.

Respondeo, quod si natura diuina non solùm subsistit per tres substantias relatiuas, sed etiam per substantiam absolutam communem toti Trinitati, vt cum Caietano 3. p. quæst. 1. art. 2. docet Suarius, disput. 1. sect. 3. & alij apud ipsum, natura diuina potest immediatè vniri naturæ creatæ. Ratio est, quia eatenus personalitas Filij potest immediatè vniri, quatenus, cum sit substantia infinita, potest supplere substantiam creatam, & naturam creatam reddere formalitèr substantiam; sed etiam substantia illa absoluta esset infinita, ac proindè posset supplere substantiam creatam: ergo &c. Addo, quod si natura diuina incarnaretur, & vniretur immediatè secundum illam substantiam absolutam communem, omnes tres Personæ incarnarentur. Nam quæ conueniunt Deo ratione naturæ communis, sunt communia toti Trinitati.

19. Si verò in natura diuina nulla datur substantia absoluta communis, sed datur solùm tres substantiæ relatiuæ propriæ, vt cum pluribus alijs docet Vasquez tom. 2. in 2. par. disp. 125. sola natura diuina non potest immediatè vniri, & incarnari. Ratio est, quia cum natura humana sit substantialitèr completa in ratione naturæ, & solùm sit incompleta in ratione substantiæ, in quantum caret propria substantia, natura diuina non potest immediatè vniri naturæ humanæ, nisi in substantia, in natura autem vniri non potest; ergo si natura diuina non habet aliam substantiam, quam tres personales, non potest vniri immediatè, nisi in tribus substantijs personalibus, secundum se præcisè vniri non potest. Quæstio, in qua quæritur, vtrum detur in Deo substantia absoluta, spectat ad tractatum de Deo, & examinata est à me lib. 2. de Deo quæst. 110. & vltima.

20. Ad 1. Vt personalitas vnatur immediatè, natura diuina non vnatur immediatè, sufficit, vt personalitas distinguatur virtualitèr in se à natura diuina, vt explicauimus qu. 98. de Deo.

21. Ad 2. transeat antecedens, & nego con-

consequentiam . Sicut personalitas licet non dicat perfectionem , tamen terminat immediatè naturam diuinam , sic potest terminare immediatè naturam humanam , præsertim cum sit realiter infinitè perfecta per essentiam diuinam . Hinc confirmatur nostra sententia . Nam per vnionem hypostaticam personalitas proportionaliter terminat naturam humanam , ac terminat diuinam ; sed naturam diuinam terminat personalitas præcisè ; ergo etiam humanitatem , ac proindè naturam humanam vnitur personalitas præcisè .

22. Ad 3. concedo maiorem , & minorem , & nego consequentiam . Speciali modo naturam humanam vnita est natura diuina , quo non est vnita personalitas Patris , & Spiritus Sancti . Nam natura diuina vnita est per personalitatem Filij secum realiter identificatam , Personalitates Patris , & Spiritus Sancti vnuntur per personalitatem Filij , quæ sola immediatè vnitur , & realitèr distinguitur à personalitatibus Patris , & Spiritus Sancti . Ideò natura diuina est incarnata in personalitate Filij secum identificata : at Pater , & Spiritus Sanctus non sunt incarnati in personalitate Filij , quæ distinguitur realitèr à Patre , & Spiritu Sancto , vt magis explicabitur quæst. 37. in responsione ad 1.

QVAESTIO XXXV.

Vtrum abstractis per intellectum Personalitatibus natura possit assumere .

S. Th. qu. 3. art. 3.

1. **V**idetur non posse . Abstracto enim eo , quo natura diuina constituitur potens assumere , natura diuina non potest assumere ; sed natura diuina constituitur potens assumere per tres personalitates ; ergo &c.

2. Respondeo cum Sancto Thoma dupliciter posse abstrahi personalitates , primo negatiuè , secundo præcisiuè . Si à natura diuina abstrahantur negatiuè tres personalitates , fingendo , quod natura diuina careat tribus personalitatibus , sequitur , quod non remanet natura diuina , vt potè realitèr identificata cum tribus personalitatibus ; ergo cum non remaneat , non potest assumere . Si autem à natura diuina tres personalitates abstrahantur purè præcisiuè , considerando Deum , & præsciudendo ab hoc , quod sit in tribus Personis , adhuc Deus potest intelligi vt persona , eo pacto , quo Deum vt personam intelligunt , & cogitant Iudæi , & puri Philosophi , cum non cogitant de tribus personis ; ergo intelligitur in Deo ratio communis personalitatis , ac subsistentiæ infinitæ , per quam possit naturam creatam terminare , & reddere subsistentem .

3. Ad argumentum in contrarium , respondeo naturam diuinam constitui potentem terminare per rationem communem perso-

nalitatis , & subsistentiæ diuinæ ; & quia abstractis per intellectum tribus personalitatibus specialibus , natura diuina potest intelligi cum ratione communi personalitatis , & subsistentiæ diuinæ ; ideò abstractis per intellectum tribus personalitatibus , natura diuina potest intelligi cum potentia terminandi naturam creatam .

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum vna Persona possit assumere , & incarnari sine alia ?

S. Th. qu. 3. art. 4.

1. **V**idetur , quod non possit : primo quia non potuit immediatè vniri , & incarnari personalitas Verbi , quin mediatè vniretur , & incarnaretur natura diuina , quæ realitèr identificatur cum personalitate Verbi ; ergo non potest mediatè vniri , & incarnari natura diuina , quin mediatè vniretur , & incarnaretur personalitas Patris , & Spiritus Sancti , quæ realiter identificantur cum natura diuina .

2. Secundo maior est vnio realis , & substantialis per incarnationem , quam vnio intentionalis per visionem beatam , & quam vnio accidentaliter per gratiam ; sed non potest vna persona diuina videri , & sic intentionaliter vniri intellectui creato , quin videatur alia , vt cum S. Thoma , 1. p. q. 2. art. 8. dixi l. i. de Deo qu. 37. non potest etiam homini per gratiam vniri vna Persona sine alia : ergo &c.

3. Tertio vt docet Damascenus lib. 1. de fide , cap. 10. in Deo omnia sunt communia , præter esse ingenitum , genitum , & spiratum ; sed esse incarnatum nihil est horum trium ; ergo esse incarnatum est tribus personis commune .

4. Quarto opera ad extra sunt indiuisa & communia toti Trinitati , vt docet Augustinus in Enchiridio , cap. 18. & cum eo omnes ; sed incarnari est opus ad extra ; ergo &c.

5. Respondeo Sabellianos , qui dixerunt Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum esse vnã tantum personam , quæ tribus nominibus appelleretur , consequenter docuisse Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum fuisse incarnatos . Temporibus sequentibus quidam nomine Clericus apud Anselmum de Incarnatione Verbi , cap. 1. docuit in Deo Personas distingui realiter à natura diuina , quia si realiter non distinguerentur , non potuisset vna persona incarnari sine alia ; eundemque errorem tempore Sancti Bernardi renouauit Gilbertus Porretanus . Damnatus fuit hic error in duobus Concilijs Rhemensibus celebratis , altero tempore Anselmi , altero tempore Bernardi . Contra hos errores definitum est in Concilio Toletano sexto , & Toletano vndecimo in Confessione Fidei , in Carthaginensi quarto ,

quarto, cap. 1. in Lateranensi sub Innocentio tertio, vt refertur cap. *Firmiter*, solum Filium incarnatum esse, & naturam humanam assumpsisse, cum de illo dicatur, *Verbum caro factum est*; Patrem, & Spiritum Sanctum non fuisse incarnatos, nec naturam humanam assumpsisse; ex quo sequitur vnam Personam posse incarnari, & naturam creatam assumere sine alia. Probat ratione. Nam cum plura in vno sunt idem, quod conuenit illis ratione eius, in quo sunt idem, necessariò conuenit omnibus, quod autem conuenit vni ratione illius, in quo distinguuntur, non necessariò conuenit omnibus; sed tres Personæ diuinæ sunt idem in natura diuina, in personalitatibus autem distinguuntur; ergo quæ conueniunt vni Personæ, ratione naturæ communis, conueniunt omnibus personis; quæ conueniunt vni Personæ, ratione personalitatis propriæ, non necessariò conueniunt omnibus Personis: sed incarnationem efficere conuenit Filio ratione naturæ communis; Incarnationem terminare, hoc est vniri naturæ humanæ, & incarnari, conuenit Filio ratione personalitatis propriæ: ergo incarnationem efficere conuenit omnibus tribus personis; at incarnari, & vniri naturæ humanæ, illamque assumere, non necessariò conuenit tribus Personis, adeoque vna Persona potest incarnari sine alia, sicut de facto Filius est incarnatus, Pater, & Spiritus Sanctus non sunt incarnati.

6. Potest quæri, vtrum licet Pater, & Spiritus Sanctus non sint incarnati, nec sint hypostaticè vniti humanitati Christi, tamen, aliquo speciali modo, & non per solam immensitatem, sint in humanitate Christi per quamdam concomitantiam.

Respondeo affirmatiuè, vt contra aliquos ex Basilio, Chrysofomo, Cyrillo Alexandrino, Ambrosio, Augustino, & alijs Patribus probat Vasquez 3. p. disp. 18. cap. 2. Ratio est, quia vt cum communi sententia Theologorum, & Patrum dixi quæst. 94. de Deo, illatione 7. in Deo datur circuminfectio, per quam quælibet Persona diuina intimè, & perfectè est in alia, præsertim ratione naturæ communis, quasi vinculi communis; sed Filius speciali modo est in humanitate per vnionem hypostaticam; ergo Pater, & Spiritus Sanctus, qui per circuminfectionem sunt in Filio, speciali modo sunt in humanitate Christi per quamdam concomitantiam. Et quia Filius speciali modo fuit in vtero Virginis per vnionem cum humanitate, quæ erat in vtero Virginis, etiam Pater, & Spiritus Sanctus, non solum per immensitatem, sed etiam speciali modo per concomitantiam fuerunt in vtero Virginis, licet Pater, & Spiritus Sanctus sicut non fuerunt incarnati, sic non fuerint concepti ex Virgine. Confirmatur exemplo Eucharistiæ, in qua tota Trinitas speciali modo est per concomitantiam, vt explicatur in Tractatu de Eucharistia.

7. Ad 1. Concedo antecedens, & nego

consequentiam. Disparitas est, quia vniri, & incarnari mediatè est esse idem cum eo, quod immediatè vnitur, & incarnatur; sed natura diuina identificatur cum personalitate Verbi, quæ fuit immediatè vnita, & incarnata: ergo natura diuina incarnatur mediatè. At Pater, & Spiritus Sanctus distinguuntur à Persona, & personalitate Verbi, quæ sola incarnatur immediatè; ergo non incarnantur mediatè, licet sint realitèr natura diuina, quæ incarnata est mediatè in Filio.

8. Ad 2. distinguo maiorem: maior est vnio hypostatica, quam vnio per visionem, & gratiam, sed vnio hypostatica est ratione proprii, vnio per gratiam est ratione communis, concedo; & vtraque est ratione communis, nego; concedo, minorem; & nego consequentiam. Filius vnitur naturæ humanæ ratione personalitatis propriæ, in qua distinguitur ab alijs Personis: ergo potest vniri, quin aliæ Personæ vniantur. At Deus videtur, & participatur per gratiam immediatè ratione essentiæ communis: ergo non est mirum, quod non possit videri, & per gratiam vniri vna Persona sine alia.

9. Ad 3. In Deo ad intra omnia sunt communia, exceptis illis tribus: ad extra autem, omnia sunt communia, exceptis illis, quæ conueniunt specialitèr ratione alicuius ex illis tribus; sed vniri, & incarnari conuenit Verbo ratione propriæ personalitatis, & relationis, qua est genitus: ergo sunt propria Verbi, & non sunt communia toti Trinitati.

10. Ad 4. distinguo maiorem: opera ad extra communia sunt toti Trinitati in genere causæ efficientis, concedo: in genere causæ formalis, vel quasi formalis, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Opera ad extra in genere causæ efficientis sunt communia toti Trinitati, quia Omnipotentia, & virtus operatiua ad extra est communis toti Trinitati: at in genere causæ formalis non necessario sunt communia, quia singulæ Personæ ratione propriæ personalitatis possunt tribuere quosdam effectus formales, cum possint vniri, terminare vnionem, incarnari &c. Debet autem aduertiri, quod cum dicitur actiones ad extra esse communes toti Trinitati, debet intelligi de actionibus, quæ vni Personæ tribuuntur ratione naturæ diuinæ communis; siquidem actiones, quæ tribuuntur Filio ratione naturæ humanæ, puta ambulare, dormire &c. non sunt communes. Filius enim Dei dicitur ambulasse, dormisse &c. ratione naturæ humanæ, & tamen Pater, & Spiritus Sanctus non dicuntur ambulasse, dormisse &c.

QVÆSTIO XXXVII.

Virum qualibet Persona diuina potuerit naturam creatam assumere, & incarnari?

S. Th. quæst. 3. art. 5.

1. Videtur solus Filius posse incarnari, Pater, & Spiritus Sanctus non posse incarnari.

carnari: primo, quia proprietates Patris est, ut sit ingenuus, & innascibilis, proprietates etiam Spiritus Sancti est, ut non possit generari, ac nasci, & esse Filius; sed per incarnationem Patris, & Spiritus Sanctus generarentur, & nascerentur ex homine, & essent filij hominis; ergo confunderentur proprietates diuinarum Personarum.

2. Secundo Incarnatio est missio: ergo si Pater fuisset incarnatus, fuisset missus in mundum; sed repugnat Patri, ut mittatur, ut docet Sanctus Thomas 1. p. quaest. 43. art. 4. ergo &c.

3. Tertio per Incarnationem ceteri homines acquirunt a Persona incarnata filiationem adoptiuam; sed filiatio adoptiuam est participatio filiationis naturalis: ergo solus Filius naturalis potuit incarnari, ut ab ipso ceteri homines acciperent filiationem adoptiuam.

4. Respondeo, quod ut refert S. Bonaventura in 3. distinct. 1. art. 1. quaest. vltima, quidam dixerunt solum Filium potuisse incarnari, Patrem, & Spiritum sanctum non potuisse incarnari. Dicendum cum Magistro in 3. distinct. 1. quem sequuntur S. Thomas hic, & omnes Theologi: omnes tres Personae diuinae potuerunt incarnari, & naturam creatam assumere.

Probatur: nam cum infinita virtus diuinae Omnipotentiae aequae sit in omnibus Personis, potest illas aequae unire naturae creatae, si omnes Personae sint aequae unibiles: sed omnes Personae sunt aequae unibiles; ergo &c. Probatur minor: nam ideo Persona Filij est unibilis; & apta ad reddendam subsistentem naturam creatam, quia cum habeat subsistentiam infinitam, & continentem eminenter omnes subsistentias creatas, potest per talem subsistentiam infinitam supplere defectum cuiuslibet subsistentiae creatae, ac reddere subsistentem quamlibet naturam creatam; sed Pater, & Spiritus sanctus habent subsistentiam aequae infinitam: ergo &c.

5. Ad 1. Proprietates Patris est, ut sit ingenuus, & innascibilis generatione aeterna, qua accipiat naturam diuinam, non autem ut sit ingenuus, & innascibilis generatione temporali, qua accipiat naturam humanam. Idem proportionaliter dic de Spiritu sancto. Iam, sicut non repugnat, ut Filius Dei incarnatus sit passibilis, & impassibilis, aeternus, & temporalis, aequalis Patri, & minor Patre, secundum diuersas formas, & naturas: sic si Pater fuisset incarnatus, non repugnet, ut esset ingenuus, & ingenuus, nascibilis, & innascibilis secundum diuersas formas, & naturas.

6. Ad 2. distinguo maiorem: Incarnatio personae procedentis est missio, concedo: personae non procedentis, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Missio includit processionem quamdam missi a mittente: & quia Filius procedit a Patre, Spiritus sanctus a Patre, & Filio, ideo Filius per incarnationem missus est a Patre, Spiritus sanctus

si fuisset incarnatus, missus fuisset a Patre, & Filio. Pater est conuerso si fuisset incarnatus, non fuisset missus, quia non procedit ab illa Persona. Confirmatur: nam licet de facto omnes tres Personae diuinae, cum iustificamur, ueniant ad nos per gratiam, iuxta illud Ioan. 14. ad eum uenimus, & mansionem apud eum faciemus, tamen Filius, & Spiritus sanctus ueniunt, ut missi a Patre, Pater uenit, sed non ut missus; ergo a pari.

7. Ad 3. concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. De facto Pater aeternus dicitur appropriatiue nos adoptare in filios ad similitudinem sui Filij naturalis per donum Spiritus sancti, hoc est per gratiam: ergo sicut incarnatus est Filius, ad cuius similitudinem adoptamur, sic potuisset incarnari Pater adoptans nos ad similitudinem Filij sui, & Spiritus sanctus, per cuius donum adoptamur.

QVAESTIO XXXVIII.

Utrum plures Personae diuinae possint simul assumere unam numero naturam?

S. Th. quaest. 3. art. 6.

1. **V**idetur non posse, ut docuerunt Scotus in 3. distinct. 1. quaest. 2. Richardus eadem distinct. art. 1. quaest. 4. primo, quia si tres Personae assumerent unam numero naturam humanam, possent mutuo praedicari, dicendo, *Pater est Filius &c.* quod est absurdum.

2. Secundo si plures Personae unirentur naturae humanae, unirentur non in natura, sed in persona; sed uniri in persona est ita uniri, ut fiat una tantum persona; ergo tres Personae diuinae fierent una tantum persona: quod repugnat.

3. Tertio est proprium naturae diuinae propter suam infinitatem posse terminari pluribus personalitatibus: ergo natura creata, & finita non potest terminari pluribus personalitatibus: alioquin posset etiam terminari infinitis personalitatibus.

4. Quarto natura creata si terminetur personalitate propria, non potest simul terminari aliena: ergo si terminetur una personalitate aliena, non potest simul terminari alia.

5. Quinto cum una forma adequata explet totam capacitatem subiecti in ordine ad aliquem effectum formalem, excludit ab eodem subiecto aliam formam in ordine ad eundem effectum formalem; sed una subsistentia adequata explet capacitatem cuiuslibet naturae creatae, & finitae in ordine ad reddendam illam subsistentem: ergo &c.

6. Sexto, & est fundamentum praecipuum Scoti, nullus effectus in ullo genere causae potest pendere simul a pluribus causis totalibus; sed natura creata effectum formalem sub-

subsistentis habet adæquatè per vnam subsistentiam totalem: ergo non potest subsistere pluribus subsistentijs totalibus: sed natura assumpta simul à tribus Personis subsisteret totaliter quælibet earum subsistentia: ergo &c.

7. Septimo Anselmus lib. 2. *cur Deus homo* dicit. *Plures enim Personæ nequeunt vnum, eundemque hominem assumere in vnitatis personæ. Quare in vna tantum persona hoc fieri necesse est.*

8. Respondeo cum communiore sententia S. Thomæ hoc art. 6. quam etiam sequuntur Suarez 3. parte disp. 13. sect. 2. & Vasquez disp. 29. posse tres Personas assumere simul vnam numero naturam, ac proinde potuisse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum simul incarnari, assumendo eandem numero naturam humanam. Probatur. Nam si tres Personæ non possent assumere vnam numero naturam, vel ideò, quia vna personalitas diuina excluderet aliam ab eadem numero natura; vel quia natura creata propter suam limitationem non esset capax, vt subsisteret tribus diuinis personalitatibus: neutrum dici potest: ergo &c. Probatur prima pars minoris. Nam vna personalitas diuina non excludit aliam ab eadem numero natura: siquidem tres personalitates diuinæ simul terminant eandem numero naturam diuinam. Probatur secunda pars. Nam natura creata, puta humana, licet sit finita, tamen potest terminari, ac de facto terminatur infinita personalitate Verbi diuini: ergo licet sit finita, habet capacitatem, vt terminetur tribus personalitatibus infinitis, posito quod non se mutuo excludant ab eadem numero natura.

9. Quæritur, vtrum si tres Personæ assumerent vnam numero naturam humanam, essent tres homines, vel vnus homo?

Respondeo cum S. Thoma in hoc articulo in respons. ad 1. quod essent vnus homo. Sicut enim tres Personæ diuinæ, quia sunt Deus per vnam tantum deitatem, & naturam diuinam, non sunt tres Dij, sed vnus tantum Deus, sic eadem tres Personæ, quia essent homo per vnam tantum humanitatem, & naturam humanam, non essent tres homines, sed vnus tantum homo. Ratio est, quia vt ex Sancto Thoma 1. parte quæst. 39. art. 3. dixi lib. 2. de Deo, quæst. 93. num. 13. vt concretum substantiuum, præsertim significans substantiam, multiplicetur, & dicatur pluraliter, non sufficit, vt multiplicetur suppositum, sed debet multiplicari etiam forma: sed forma significata per concretum substantiuum Deus est deitas, forma significata per concretum substantiuum homo est humanitas: ergo sicut vt essent tres dij, non solum deberent esse tria supposita deitatis, sed etiam deberent esse tres deitates, sic vt essent tres homines, non solum deberent esse tria supposita humanitatis, sed etiam deberent esse tres humanitates.

10. Hinc sequitur, quod sicut in Trinitate,

Tom. III.

te, quæ dicuntur de vna Persona ratione naturæ communis, dicuntur de omnibus Personis, at quæ conueniunt vni Personæ ratione proprietatis personalis, non dicuntur de vlla alia, eo pacto, quo Pater generat, Filius non generat, Pater est Pater, Filius non est Pater, sic si tres Personæ diuinæ essent vnus homo, quæ dicerentur de vna Persona ratione naturæ humanæ communis, dicerentur de omnibus, ac proinde si Pater ratione naturæ humanæ fuisset passus, & mortuus, etiam Filius fuisset passus, & mortuus. At quæ dicerentur de vna Persona, ratione proprietatis personalis, non dicerentur de alia, ideoque non diceretur, Pater est Filius, Filius est Pater &c.

11. Dices: hic syllogismus expositorius, *Hic homo est Pater: Filius est hic homo: ergo Filius est Pater*, esset in forma, & concluderet, ac præmissæ essent veræ; ergo vna Persona posset prædicari de alia.

Respondeo, negando antecedens. Sicut enim de facto non concludit, & non est in forma hic syllogismus expositorius, *hic Deus est Pater: Filius est hic Deus: ergo Filius est Pater*: sic non concluderet ille. Fallacia est, quia vt syllogismus etiam expositorius concludat, medius terminus debet in altera saltem præmissa sumi vniuersaliter distributiue: sed in allato syllogismo medius terminus est *hic homo*, & in neutra præmissa sumitur vniuersaliter distributiue: ergo &c. Probatur minor. Nam sensus maioris *hic homo est Pater*, non est, *omne, quod est hic homo, est Pater*; in hoc enim sensu maior esset falsa, & neganda: sed sensus est, *aliquid, quod est hic homo, est Pater*: sensus etiam minoris *Filius est hic homo* non est, *Filius est omne, quod est hic homo*, sed solum est, *Filius est aliquid, quod est hic homo*, ac proinde medius terminus in neutra præmissarum distribuitur, vt magis explicauimus in summulis, & lib. 2. de Deo, quæst. 100. in respons. ad 5. num. 56. 57.

12. Ad 1. patet ex modo dictis.

13. Ad 2. distinguo minorem: vniri in persona est ita vniri, vt ex natura assumpta, & ex singulis assumentibus fiat vna tantum persona, concedo: vt ex natura assumpta, & ex omnibus assumentibus fiat vna tantum persona, nego; & nego consequentiam. Vniri in persona, & non vniri in natura, est ita vniri, vt ex singulis assumentibus, & ex natura assumpta fiat vna tantum persona subsistens in duabus naturis, & non requiritur, vt assumentibus sit vna tantum persona, vel vt ex omnibus assumentibus fiat vna tantum persona: sed si tres Personæ diuinæ assumerent vnam naturam humanam, ex natura, & singulis assumentibus fieret vna tantum persona, puta ex natura, & Patre fieret vna tantum persona Patris subsistens in natura diuina, & humana, licet ex tribus personis assumentibus non fieret vna tantum persona: ergo &c.

14. Ad 3. distinguo antecedens: est proprium

M

primum naturæ diuinæ propter suam infinitatem terminari naturaliter pluribus subsistentiis propriis &c. concedo; terminari supernaturaliter pluribus subsistentiis alienis, nego; & nego consequentiam. Est proprium naturæ diuinæ infinitæ terminari naturaliter tribus subsistentiis propriis identificatis eum diuinæ naturæ, retenta distinctione reali subsistentiarum; natura verò creata potest non naturaliter, sed supernaturaliter, & obedientialiter terminari pluribus subsistentiis alienis distinctis realiter ab ipsa natura creata.

15. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. Subsistentia creata propter suam limitationem excludit à natura, quam terminat, omnem aliam subsistentiam; sed si natura terminaretur subsistentia propria, terminaretur subsistentia creata; ergo non posset simul terminari alia subsistentia. Ad subsistentia increata propter suam illimitationem non excludit à natura, quam terminat, aliam subsistentiam increatam, ut patet in mysterio Trinitatis: ergo non est mirum, quod natura creata, licet terminaretur vna subsistentia increata, posset simul terminari alia.

16. Ad 5. distinguo minorem: vna subsistentia explet adæquatè totam capacitatem tum naturalem, tum obedientialem naturæ creatæ in ordine ad subsistendum subsistentia eiusdem rationis, concedo; alterius rationis, nego; & nego consequentiam. In natura humana datur capacitas subsistendi subsistentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti, quæ subsistentiæ sunt diuersæ rationis. Vna ergo subsistentia, puta subsistentia Patris, explet capacitatem obedientialem in ordine ad subsistendum subsistentia Patris, non autem in ordine ad subsistendum subsistentia Filij, vel Spiritus Sancti: ergo cum tales subsistentiæ non se excludant ab eadem numero natura, possunt simul reddere subsistentem eandem numero naturam creatam.

17. Ad 6. distinguo maiorem: nullus effectus solum genericè idè potest pendere à pluribus causis totalibus, nego; non solum genericè, sed etiam specificè, & numericè idem, transeat: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Natura secundum effectum formalem subsistendi dependet à subsistentia, tamquam à causa formali. Iam subsistere in Patre est effectus formalis diuersæ rationis, ac subsistere in Filio, licet isti duo effectus conueniant in ratione genericè subsistendi: effectus autem formalis idem genere, sed non idem specie finitima, ac non idem numero, pendere potest à pluribus causis formalibus causantibus totaliter rationem genericam, non autem specificam, vel individualem: ex.gr. cum homo videt simul, & audit, tum visio, tum auditio causant totaliter rationem genericam sentientis, sed visio causat rationem specificam videntis, auditio rationem specificam audientis. Videri etiam

possunt, quæ de causis totalibus dixi quæst. 24. physica in responsi. ad 5.

18. Ad 7. Anselmus verbis citatis negat plures Personas assumere posse vnum hominem, non vtrumque, sed in vnitatè personæ, quod est verum, & à nobis non negatur. Deus enim tres Personas diuinæ non posse ita assumere vnum hominem, ut sint vna tantum persona, sed ut remaneant tres personæ, quæ tamen sint vnus homo, sicut de facto tres Personæ sunt vnus Deus.

QVÆSTIO XXXIX.

Virum vna persona diuina possit simul assumere plures naturas creatas?

S. Th. quæst. 3. art. 7.

1. **V**idetur non posse. Natura enim rationalis vnita Personæ diuinæ debet infra Deum esse caput, & princeps totius mundi; sed est repugnans, & monstruosum, ut in mundo dentur duo capita: ergo &c.

2. Respondeo cum S. Thoma art. 7. quem sequuntur communiter Theologi: vna Persona diuina potest assumere plures naturas humanas, vel Angelicam simul, & humanam. Conclusio tamen debet intelligi cum limitatione afferenda in responsione ad argumentum contrarium. Probatur: nam si repugnaret, vel repugnaret ex parte principij, vel ex parte termini: ex neutro repugnat: ergo &c. Probatur minor: nam cum Deus per suam infinitam virtutem possit vnire in eadem Persona diuina duas naturas: siquidem de facto in vna persona Verbi vnuit naturam diuinam, & humanam; Persona etiam diuina propter suam infinitatem possit terminare duas naturas: siquidem de facto terminat simul naturam diuinam, & humanam: Deus propter suam infinitam virtutem poterit in Persona diuina Verbi vnire duas naturas creatas, & Persona diuina propter suam infinitatem poterit simul terminare duas naturas creatas. Confirmatur: nam quia Persona diuina habet infinitam virtutem terminandi, licet terminet naturam diuinam infinitam, potest simul terminare naturam creatam finitam; ergo licet terminaret naturam creatam finitam, posset etiam terminare aliam: alioqui natura finita ita adæquaret infinitam virtutem terminatiuam, ut non posset extendi ad terminandam aliam naturam finitam, quod est absurdum.

3. Quæri potest primo, vtrum si vnus Persona assumeret duas humanitates, esset vnus homo, vel duo homines.

Respondeo, quod Richardus in 3. distinct. 1. art. 1. quæst. 5. docuit, quod neque deberet dici vnus homo, neque duo homines. Scotus in 3. distinct. 5. quæst. 3. ad 1. Durandus in 3. distinct. 1. quæst. 3. & S. Thomas in

in 3. distinct. 1. quæst. 2. art. 5. docuerunt, quod essent duo homines, non autem vnus homo. At idem S. Thomas hoc art. 7. ad 2. antiquam suam sententiam retractans, docet, quod esset vnus homo, non autem duo homines, & hæc sententia est vera. Probatur: nam vt concretum substantium dicatur pluraliter, non sufficit, vt multiplicetur forma, sed etiam debet multiplicari suppositum; ideoque si vnus homo habeat duas artes, non dicitur esse duo artifices, sed vnus tantum artifex, quia est vnum tantum suppositum duarum artium; sed si vna Persona assumeret duas humanitates, licet essent duæ formæ, tamen esset vnum tantum suppositum; ergo non dicerentur duo homines, sed vnus tantum homo.

4. potest quæri secundo, vtum si vna Persona assumeret duas humanitates, illæ duæ humanitates mutuo vnirentur intrinsecè saltem mediâtè.

Respondet negatiuè S. Thomas in responsione ad 3. Ratio est, quia ideo dum Verbum vnitur humanitati, etiam natura diuina vnitur intrinsecè mediâtè, quia natura diuina identificatur cum personalitate Verbi, quæ vnitur intrinsecè immediâtè humanitati; sed in casu posito vtraque humanitas vnita eidem Personæ diuinæ distingueretur realiter à Persona diuina, quæ sola immediâtè vniretur vtrique humanitati: ergo illæ duæ humanitates non mutuo vnirentur intrinsecè mediâtè, sed remanerent sibi mutuo extrinsecè. Confirmatur: Nam vna humanitas posset esse Romæ, altera Neapoli; ergo proculdubio essent sibi mutuo extrinsecè. Confirmatur secundo: nam vt vna humanitas esset alteri intrinsecè immediâtè, vel mediâtè, deberet illam perficere, vel ab illa perfici immediâtè, vel mediâtè; sed neutra ex illis humanitatibus alterâ perficeret, vel ab altera perficeretur immediâtè, vel mediâtè: ergo &c. Probatur minor: nam illæ duæ humanitates non vnirentur immediâtè, vt supponimus: ergo non perficerent se immediâtè. Rursus illud perficit alterum mediâtè, quod immediâtè perficit medium, à quo illud aliud immediâtè perficitur; sed neutra humanitas perficeret Personam diuinam, à qua immediâtè perficeretur altera humanitas: ergo &c.

5. Quæri potest tertio, vtum si eadem Persona assumpsisset ex. gr. naturam humanam, & Angelicam, daretur communicatio idiomatum, & prædicatorum, ita vt posset dici, homo est Angelus &c.

Respondet affirmatiuè. Ideo enim in Christo dici potest Deus est homo &c. quia hæc propositio significat suppositum naturæ diuinæ est suppositum naturæ humanæ; sed in casu allato suppositum naturæ humanæ esset suppositum naturæ angelicæ: ergo dici posset homo est Angelus, vt magis explicabitur, cum agemus de communicatione idiomatum quæst. 43.

Tom. III.

6. Ad argumentum in contrarium: dum dicimus vnam Personam posse assumere plures naturas, asserimus hoc non repugnare ex rationibus metaphysicis, abstrahendo ab hoc, vtum repugnet ex aliqua ratione morali, puta ex eo, quod sit contra rectam gubernationem mundi, vt in mundo dentur duo capita infra Deum.

QVÆSTIO XL.

Vtrum fuerit magis conueniens, vt incarnaretur Filius, quam Pater, aut Spiritus Sanctus?

S. Thom. qu. 3. art. 8.

1. **V**idetur non fuisse. Cum enim personæ diuinæ sint omnino æquales, habent æqualem virtutem assumendi, ac terminandi naturam creatam, ac proindè est æquè conueniens, vt incarnetur vna, ac alia Persona.

2. Respondeo cum Sancto Thoma conuenientissimum fuisse, vt incarnaretur Persona Filij, idemque docent plures Patres infra afferendi. Prima ratio est, quia conuenientissimum fuit, vt incarnaretur Persona, quæ est similior naturæ assumptæ; sed Persona filij, cum ex sua proprietate personali sit similitudo, & idea omnium creaturarum, est similior naturæ assumptæ, quam alia Personæ; ergo &c. Secundo conuenientissimum fuit, vt sicut natura creata facta est per Verbum, tamquam per ideam, sic reformaretur per Verbum. Nam artifex sicut per ideam facit opus, sic per eandem ideam illud reformat. Tertio perfectio præcipua hominis consistit in sapientia, ideoque homo debuit perfici per Personam Filij, quæ ex sua proprietate personali est sapientia. Quarto fuit conueniens, vt per Filium naturalem reciperemus filiationem, adoptiuam. Has, & alias rationes conuenientia specialis afferunt etiam Sancti Patres, nimirum Athanasius lib. de incarnatione Verbi, Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 1. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 4. Anselmus lib. de incarnatione Verbi, cap. 4. & lib. 2. cur Deus homo, cap. 9. Bernardus homil. de Dominica 1. Aduentus, & alij.

3. Ad argumentum in contrarium. Sicut licet Personæ diuinæ sint æquales, tamen Filius ex sua proprietate personali est similior naturis creatis, quam Pater, aut Spiritus Sanctus, sic licet sint æquales, conuenientius fuit, vt Filius vt potè similior assumeret naturam creatam.

QVÆSTIO XLI.

Vtrum, & quo ordine Filius Dei assumpsit totam naturam humanam, & eius partes?

S. Th. q. 4. 5. 6.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas quæst. 2. & 3. egit de vnione secundum se, & ex parte

M 2

parte Personæ assumptis, quæstione 4. agit de vnione ex parte naturæ assumptæ, quæst. 5. de partibus naturæ assumptæ, quæstione 6. de ordine, quo Filius Dei assumpsit naturam, & eius partes. Quia verò doctrina harum quæstionum facilis est, & magna ex parte deducitur ex dictis supra, breuiter illam, & conclusiones in ea contentas proponam cum suis rationibus.

2. Quæstione igitur quarta, art. 1. quærit, vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis, quam quælibet alia natura?

Respondet, quod assumptibilitate potentiæ passiuæ naturalis nulla natura creata est assumptibilis à persona diuina: siquidem nulla natura creata habet potentiam passiuam naturalem ad vnionem hypostaticam, quæ est supernaturalis. At assumptibilitate congruentiæ natura humana est magis assumptibilis, quam quælibet alia natura. Ratio est, quia in natura humana datur duplex congruentia ad hoc, vt assumatur. Prima est congruentia dignitatis. Cum enim sit rationalis, potest attingere Deum, illique intentionaliter vniri per cognitionem, & amorem: ergo congruum est, vt Deo vnatur etiam hypostaticè. Secunda est congruentia necessitatis. Cum enim homo per peccatum originale sit lapsus, indiget reparatione. Natura angelica, quæ est superior humana, habet solam congruentiam dignitatis, non autem necessitatis. Angeli enim boni cum careant peccato, non indigent reparatione: Angeli mali, cum connaturaliter sint incapaces poenitentia, sunt proportionaliter incapaces reparationis. Natura irrationalis, quæ est inferior humana, caret vtraque congruitate, dignitatis, ac necessitatis.

3. Quæritur, vtrum natura irrationalis habeat potentiam obedientialem ad hoc, vt assumatur, hoc est vtrum de potentia absoluta possit assumi?

Respondeo, quod affirmant S. Thomas in 3. distinct. 2. quæst. 1. Scotus in 3. distinct. 2. alique communiter, quos sequuntur Suarius disput. 14. sect. 2. & Vasquez disput. 30. cap. 2. At Alensis 3. part. quæst. 2. membro 2. S. Bonauentura in 3. dist. 2. art. 1. quæst. 1. Henricus quodlibeto 13. quæst. 5. & quidam alij dicunt naturam irrationalem non posse assumi, nisi habeat ordinem ad rationalem. Hoc autem dicunt, quia corpus mortuum Christi in triduo mortis retinuit vnionem cum Verbo, sed habebat ordinem ad animam rationalem, cui fuerat ante vnitum, & paulo post erat reunendum. Vt autem docet Vasquez disput. 30. cap. 4. S. Thomas in hoc articulo videtur sequutus hanc secundam sententiam. Cum enim dicat naturam irrationalem carere omni congruitate ad hoc, vt assumatur; impossibile autem sit assumi naturam, quæ nullam habet congruitatem ad hoc, vt assumatur; videtur docere naturam irrationalem esse prorsus inassumptibilem. Addit Caietanus in commentario huius articuli, Sanctum Thomam

hic in summa prudenter noluisse de hoc puncto disputare, quia ipsa disputatio, qua quæritur, an Deus possit assumere naturam lapidis, sistendo in ipsa, pias aures offendit. In hac quæstione probabilior existimo partem negatiuam ex fundamento insinuato, quæst. 2. in respons. ad 10. licet noluerim de ea disputare, sequens in hoc exemplum Sancti Thomæ.

4. Quæri potest secundo, vtrum Persona diuina possit de potentia absoluta assumere accidens?

Respondeo affirmare Marsilium in 3. quæst. 3. art. 1. Almainum quæst. 2. art. 2. Gabrielem distinct. 1. quæst. 2. art. 2. ad 7. negare alios communiter, quos sequuntur Suarius disput. 14. sect. 4. & Vasquez disput. 30. cap. 5. quorum sententia mihi videtur probabilior ex fundamento insinuato quæst. 2. in resp. ad 8.

5. Articulo secundo quærit, vtrum Filius Dei assumpsit personam?

Respondet negatiuè. Conclusio est de fide ex Concilio Toletano vndecimo cap. 1. vbi habetur: *Deus igitur Verbum non assumpsit personam hominis, sed naturam*. Ratio est, quia quod assumitur, cum sit terminus assumptionis, debet intelligi præexistens ante assumptionem; sed persona hominis non intelligitur præexistens ante assumptionem; ergo &c. Probatur minor: vel enim ita præexistit, vt remanserit post vnionem, & sic post vnionem fuerunt in Christo duæ personæ, alia assumens alia assumpta, quod est hæreticum, & Nestorianum: vel persona assumpta non remansit post vnionem, & sic frustra fuit assumpta. Nam frustra assumitur aliquid, vt per ipsam assumptionem corrumpatur. Dum igitur Innocentius III. in quadam decretali dicit, quod Persona Dei consumpsit personam hominis, loquitur de consumptione impropria, quæ dicitur consumpsisse, non quia assumendo, destruxerit personam, quæ ante erat, sed quia assumendo naturam, impediuit, ne esset persona hominis, quæ fuisset, si natura non fuisset assumpta à Verbo.

6. Articulo tertio quærit, vtrum Persona diuina assumpsit hominem.

Respondet negatiuè, si propriè loquamur. Ratio est, quia homo est suppositum, habens naturam humanam; sed Filius Dei assumpsit solam naturam, non autem suppositum: ergo non assumpsit hominem, si propriè loquamur: ideoque in Concilio Chalcedonensi, act. 1. dicitur Dei Filius non assumpsisse hominem. Sancti Patres, & nominatim Augustinus lib. de Agone Christiano, cap. 11. lib. 3. de Trinitate, cap. 17. lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 15. dum dicunt, Verbum Dei assumpsisse hominem, piè sunt interpretandi, vt loquantur figuratè, & sumentes totum pro parte, & nomine hominis intelligant naturam humanam, vel significant Filium Dei assumpsisse naturam, qua factus est homo.

7. Articulo quarto quærit, vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam abstractam ab omnibus indiuiduis. Re-

Respondet negatiuè cum Damasceno lib. 3. de fide, cap. 11. Ratio est, quia triplici modo potest intelligi natura ab indiuiduis abstracta: primò realiter, vt posuit Plato: secundò per abstractionem intellectus nostri: tertio prout natura existit in intellectu diuino, & in diuinis ideis: sed nullo ex his modis fuit conueniens, vt assumeretur natura abstracta: ergo &c. Probatur prima pars. Nam cum natura humana in sua definitione includat corpus cum carnibus, & ossibus, & cum materia sensibili, non potest existere separata à materia sensibili: ergo nec potest assumi sic separata. Probatur secunda pars. Nam si Filius Dei assumpsisset naturam prout abstractam in nostro intellectu, non verè fuisset factus homo, sed solum per imaginationem, ac proindè fingere-mus Deum factum fuisse hominem. Probatur tertia pars. Nam natura humana prout existens in intellectu diuino, & in diuinis ideis, est ipsa essentia diuina; sed essentia diuina non est assumptibilis à Filio Dei, cum Filius Dei ab æterno, & necessariò identificetur cum diuina essentia: ergo &c.

8. Articulo quinto quærit, vtrum Filius Dei debuerit assumere naturam humanam in omnibus indiuiduis.

Respondet negatiuè cum Damasceno lib. 3. cap. 11. Primò enim non fuit conueniens natura humana, vt priuaretur omnibus personalitatibus propriis. Secundo ad dignitatem Christi pertinet, vt sit primogenitus in multis fratribus: si autem assumpsisset omnes humanitates, eo ipso omnes humanitates essent æqualis dignitatis. Tertio vnum suppositum debuit assumere vnam tantum naturam, & non plures. Quarto auferretur bonum redemptionis, mediationis, & mortis Christi pro peccatis hominum. Quinto per vnum hominem debuerunt saluari alij, ac proindè Filius Dei debuit assumere vnam tantum humanitatem.

9. Articulo sexto quærit, vtrum conueniens fuerit, vt Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adæ?

Respondet affirmatiuè cum Augustino lib. 13. de Trinitate, cap. 18. quia ad iustitiam videtur pertinere, vt satisfaceret qui peccauit, ideoque ex natura per peccatum corrupta debuit assumi natura, per quam satisfaceret. Secundo ad dignitatem hominis pertinuit, vt ex illo, qui fuerat victus à Diabolo, nasceretur is, à quo Diabolus vinceretur. Possunt etiam afferri alie rationes.

10. Quæstione quinta disputat de partibus nature assumptæ, & articulo primo quærit, vtrum Filius Dei assumpsit verum corpus.

Respondet affirmatiuè, & conclusio est de fide contra antiquissimos hæreticos, nimirum Saturninum, Marcum, Cerdonem, & Marcionem apud Tertullianum lib. de Præscriptionibus, nec non contra Manichæum apud Augustinum lib. contra Epistolâ fundamenti, & contra Priscillianum apud Leonem

epist. 93. ad Turibium, qui hæretici dixerunt Christum non habuisse corpus verum, sed tantum simulasse se habere. Reijcitur hæc hæresis, primò, quia Lucæ vltimo Christus dicit: *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Secundo si corpus Christi fuisset non verum, sed imaginarium, Christus non verè fuisset passus, & mortuus, sed imaginariè, nec verè nos redemisset, sed imaginariè, nec verè nos saluaret, sed imaginariè. Effectus enim debet proportionari causæ. Tertio non verè assumpsisset naturam humanam, ad quam requiritur corpus verum, non imaginarium. Quarto non decet Filium Dei, qui est veritas, mentiri verbo, vel factò; sed Filius Dei tota vita ostendit se habere corpus: ergo &c. Videri potest contra hanc hæresim S. Augustinus, concione 2. in psal. 34. & in illud psal. 44. *propterea vnxit te Deus,* & lib. de Agone christiano, cap. 18. 22. 23. & 24.

11. Articulo secundo quærit, vtrum Filius Dei assumpsit corpus terrenum, hoc est carnem, & sanguinem?

Respondet affirmatiuè. Conclusio est de fide contra Valentinum, qui teste Tertulliano, lib. de Præscriptionibus, & Augustino de hæresibus dicebat Christum habuisse corpus cœleste, & tamquam per canalem, per vterum Virginis transiisse; & contra Apellem, qui teste eodem Tertulliano, loco citato, docuit Christum sibi corpus ex syderibus, & aere formasse. Videntur autem hanc hæresim renouasse recentiores Anabaptistæ. Probatur conclusio eisdem rationibus, quibus probata est conclusio superior. Nam Christus non habuisset veram naturam humanam, quæ requirit corpus terrenum, & Christus, cum sit veritas, fefellisset nos, simulans se habere corpus simile nostro, cum non haberet.

12. Quæritur, vtrum filius Dei vniuerit sibi immediatè omnes partes corporis humani, itaut subsistant, non per propriam subsistentiam, sed per subsistentiam Verbi.

13. Respondeo: certum est primo omnes partes animatas, puta carnem, ossa, neruos, subsistere per subsistentiam Verbi. Certum est secundo partes purè excrementitias, puta sudorem, lachrymas, quæ sine dubio fuerunt in Christo, non fuisse immediatè vnitas Verbo. Quæstio præcipua est, vtrum sanguis, & alij tres humores, nimirum pituita, flaua, & atra bilis, qui humores sunt inanimati, sicut etiam sanguis, vt cum communiori opinione dixi in Philosophia, quæst. 9. de anima, sint ita immediatè vniti Verbo, vt subsistant per subsistentiam Verbi?

14. Negant Durandus in 4. distinct. 10. quæst. 1. Richardus in 3. distinct. 2. art. 2. qu. 1. & 2. Gabriel quæst. 13. in canonem missæ, Abulensis paradoxo 2. cap. 40. Affirmant Sanctus Thomas, & omnes penè Theologi, quos referunt, & sequuntur Suarius 3. p. disp. 15. sect. 6. Vasquez disp. 36. cap. 4. Cardinalis de Lugo disp. 4. quos sequimur. Aliqui putant defi-

definitum fuisse à Summis Pontificibus, sanguinem fuisse immediatè assumptum. Sed probabilis negatur id fuisse definitum, ac de hoc videri potest Card. de Lugo, disp. 14, cap. 7.

15. Probatum conclusio ratione. Nam Verbum diuinum assumpsit naturam humanam perfectam, & integram; sed sanguis, & humores spectant ad integritatem saltem secundariam naturæ humanæ, vt explicauit qu. 9. de anima: ergo.

16. Articulo tertio quærit, vtrum Filius Dei assumpserit animam?

17. Respondet affirmatiuè. Conclusio est de fide contra Arium, & Apollinarem, qui teste Augustino, lib. de hæresibus, cap. 15, docuerunt Verbum assumpsisse carnem sine anima, ac fuisse loco animæ. Damna est hæc hæresis, teste Theodoro, lib. 5. historiarum, cap. 9. in Concilio Constantinopolitano primo, & in Epist. Synodica Damasi Papæ apud Theodoretum, cap. 10. Damna est rursus in quarta Synodo, act. 5. in quinta Synodo, can. 4. in sexta Synodo, act. 4. & in alijs Concilijs. Veritas catholica docens Christum habuisse animam colligitur ex Scripturis. Matthæi 26. Christus dicit: *tristis est anima mea usque ad mortem*: Ioann. 10. *Ego pono animam meam pro ouibus meis*: Luc. 15. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Ratio est, quia si Christus non assumpsisset animam, non esset homo. Caro enim sine anima non est homo. Nec dicas Verbum fuisse loco animæ. Nam sicut si Angelus esset loco animæ, non fieret homo, ita si Verbum esset loco animæ. Confirmatur: nam anima dignior erat, & cum ipsa peccasset, magis indigebat, vt assumeretur, & per assumptionem curaretur, quam caro: ergo si caro est assumpta, à fortiori assumpta est anima.

18. Articulo quarto quærit, vtrum Filius Dei assumpserit intellectum, hoc est animam intellectuam, seu rationalem?

19. Respondet affirmatiuè. Conclusio est de fide contra Apollinarem, qui teste Augustino, lib. de hæresibus, hæres. 55. cum testimonijs Scripturarum cogere fererit Christum habuisse animam, dixit Christum habuisse animam, sed non ratione, ac mente præditam; loco enim mentis esse Verbum. Eadem concilia, quæ definiuerunt in Christo dari animam definiuerunt etiam dari animam ratione, ac mente præditam. Ratio est, quia si Christus non haberet animam rationalem, non esset homo. Rursus Christus meruit nobis; sed mereri non est diuinitatis, neque animæ purè sensitiuæ, sed animæ rationalis mente, & libero arbitrio præditæ: ergo &c.

20. Quæstione sexta agit de ordine, quo assumpsit naturam humanam, & eius partes. Articulo igitur primo quærit, vtrum Filius Dei assumpserit corpus, mediante anima, & articulo secundo quærit, vtrum assumpserit animam, mediante spiritu, hoc est mente, & intellectu, & ad vtrumque respondet affirmatiuè. Conclusio est certa, cum non solum

tradatur communiter à Scholasticis, sed etiam à Sanctis Patribus, nimirum ab Augustino, epist. 3. ad Volusianum &c. & à sexta Synodo act. 18. Vt autem docet Vasquez disp. 30. cap. 2. quia Apollinaris ab initio docuit, Verbum assumpsisse carnem sine anima, deinde docuit assumpsisse animam sine intellectu, Patres contra illum docuerunt Verbum non solum assumpsisse corpus cum anima, & animam cum intellectu, sed etiam media anima, & intellectu. Probatum, & explicatur conclusio. Cum enim vnus assumitur propter congruitatem, quam habet ab alio, dicitur assumi mediante illo, tamquam medio congruentiæ; sed caro assumpta est propter congruitatem, quam habet ab anima, & anima propter congruitatem, quam habet ab intellectu; ergo &c. Anima igitur fuit medium congruentiæ, non temporis.

21. Articulo tertio quærit, vtrum anima prius assumpta fuerit, quam caro.

Respondet per duas conclusiones. Prima est: anima non prius tempore assumpta est, quam corpus. Conclusio est de fide contra Origenem. Secunda conclusio est: anima non prius natura assumpta est, quam caro. Probatum: nam caro assumpta est propter animam, tamquam propter suam causam finalem: ergo anima prius assumpta est illa prioritate nature impropria, qua causa finalis dicitur prior intentionis.

22. Articulo quarto quærit, vtrum caro assumpta sit prius, quam anima?

23. Respondet negatiuè de prioritate temporis, vt explicatum est supra quæst. 28. Ratio est, quia cum caro assumpta sit propter animam, non debuit prius assumi, quam anima retur.

24. Articulo quinto quærit, vtrum natura humana assumpta fuerit, mediantibus partibus, vel potius è conuerso?

25. Respondet ordine intentionis partes assumptas esse, mediante tota natura, ordine executionis è conuerso. Ratio est, quia Verbum primo, & per se voluit assumere naturam humanam, partes autem, hoc est animam, & corpus, assumpsit propter ipsam naturam: ergo prius intentione assumpsit naturam, quam eius partes. At ordine executionis cum sint partes totius, sunt priores toto: ergo prius assumptæ sunt, quam totum. Quia tamen ordo intentionis est prior ordine executionis, & est causa ipsius, simpliciter prius assumpta est tota natura, quam partes: partes autem solum secundum quid assumptæ sunt prius, quam totum.

26. Potest quæri, vtrum Verbum eadem assumptione, & vnione assumpserit corpus animatum, an potius vna vnione vniantur corpori, alia vniantur animæ.

27. Respondeo, quod quia corpus, & anima subsistunt indiuisibiliter eadem subsistentia, vt dixi quæst. 25. in secundo quæstio, corpus, & anima Christi vniantur indiuisibiliter eadem

eadem vnione subsistentiæ Verbi, vt docet etiam Vasquez, alique communiter.

28. Hinc sequitur, quod in morte Christi loco vnionis, qua Verbum vniebatur indiuisibiliter corpori, & animæ, vt vnitis, productæ sunt duæ vniones, quarum altera vnium est corpori mortuo, altera animæ separatæ à corpore, & in Resurrectione Christi loco duarum vnionum reproducta fuit vnica vnio, qua Verbum vnium est rursus toti humanitati.

29. Articulo sexto quærit, vtrum natura humana sit assumpta, mediante gratia.

30. Respondet negatiuè. Ratio est, quia medium assumptionis est, quod debet præintelligi in natura assumpta ante assumptionem, tamquam reidens illam idoneam, & congruam assumptioni; sed nulla gratia debet præintelligi in natura assumpta ante assumptionem: ergo &c. Probatior minor: nam gratia tum in creata, tum creata vnionis hypostaticæ non præintelligitur in natura ante assumptionem, sed sunt ipse terminus per assumptionem, communicatus naturæ humanæ: gratia verò habitualis accidentalis est effectus posterior naturæ, & consequens assumptionem, & vnionem hypostaticam, & nullo pacto præintelligitur in natura ante assumptionem, vt contra aliquos explicabitur infra. Voluntas autem diuina dandi gratis naturæ vnionem hypostaticam præintelligitur quidem ante assumptionem, sed non præintelligitur vt intrinseca naturæ, sed vt causa efficiens assumptionis, & vnionis, non autem vt medium.

QVÆSTIO XLII.

Virum humanitati Christi communicentur intrinsecè, & perfectiue diuina essentia, & omnia diuina attributa?

1. Videtur non communicari. Si enim communicarentur, sicut humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi, sic per æternitatem Verbi esset æterna, per immensitatem immensa: quæ sunt absurda, & hæretica.

2. Respondeo diuinam essentiam, & omnia diuina attributa humanitati Christi communicari intrinsecè, & perfectiue, non per identitatem, sed per vnionem, non immediatè, sed mediatè. Ratio, quare non communicentur immediatè, est, quia quod non vnium alteri immediatè, non communicatur illi immediatè; sed ex dictis quæstione 34. humanitati Christi vnium immediatè sola Personalitas Verbi, diuina essentia, eiusque attributa vnium solum mediatè; ergo &c.

3. Ratio, quare communicentur mediatè, est, quia quod se alteri communicat immediatè, eo ipso eidem communicat, saltem mediatè, totam suam perfectionem secum realiter identificantem; sed Personalitas Verbi im-

mediatè se communicat humanitati; ergo illi mediatè communicat totam perfectionem diuinæ essentiæ, & diuinorum attributorum, quæ realiter identificantur cum ipsa personalitate Verbi, licet ab illa distinguantur virtualiter intrinsecè?

4. Quæritur, vtrum omnia diuina attributa communicentur humanitati Christi formaliter, hoc est ita, vt tribuant illi suos effectus formales primarios, an aliqua communicentur solum materialiter, ita vt humanitati tribuant effectus formales, non primarios, sed solum secundarios.

5. Respondeo plures ex recentioribus, quos refert, & rejicit Bellarminus lib. 3. de Incarnatione, cap. 8. 9. & 10. docuisse omnia diuina attributa, ac præsertim omnipotentiam, æternitatem, immensitatem &c. communicari humanitati Christi formaliter, tribuendo illi suos effectus formales primarios, ac proindè humanitatem Christi per omnipotentiam Verbi esse omnipotentem, per æternitatem æternam, per immensitatem immensam &c. Et quia præcipuè contendunt humanitatem, & corpus Christi per diuinam immensitatem esse immensam, & esse vbique, ideò sectatores huius hæresis vocantur vbiquetarij.

6. Reijcitur hic error primo, quia humanitas assumpta per diuinam afeitatem esset à se, ac proindè esset ens increatum, quod repugnat.

7. Secundò si humanitas Christi per diuinam æternitatem esset æterna, Verbum non fuisset incarnatum in tempore, sed ab æterno; siquidem humanitas Christi fuisset ab æterno, & non fuisset, nisi cum vnione cum Verbo.

8. Tertio si corpus Christi fuisset, & esset vbique, Christus non verè motus fuisset localiter, & per consequens non verè ambulasset, nec verè ascendisset in cælum. Nam quod est vbique, non potest moueri ex vno loco in alium. Rursus Christus non verè habuisset figuram humanam. Nam quod est vbique non potest verè esse figuratum, ac non solum fuisset in vtero Virginis, sed etiam in vtero omnium aliarum mulierum. Corpus Christi mortuum non magis fuisset in sepulchro, quam in omnibus alijs locis: sed hæc repugnant toti historiæ euangelicæ; ergo &c. Debent igitur Vbiquetarij dicere, Christum non verè, sed solum apparenter habuisse figuram humanam, ambulasse, ascendisse in cælum, fuisse clausum in vtero Virginis; ergo consequenter debent dicere, Christum solum apparenter fuisse natum, passum, mortuum, & sepulrum, & sic hæresis Vbiquetariorum coincidit cum antiqua hæresi Eutychianorum, quæ vt colligitur ex Leone epistola 10. 11. 13. 97. & alibi, & ex Theodoro lib. 4. de fabulis hæreticorum, tandem coincidebat cum antiquiori hæresi Valentini, & Manichæorum, qui dixerunt Ver-

Verbum Dei solum apparenter incarnatum, passum, & mortuum fuisse, eo pacto, quo Eutychnorum errorem referens dicit Leo epistola 13. *Patriarchis, & Prophetis in specie carnis apparuit, cum Genesis 38. & 32. aut Iulianum inijt, aut sermonem conseruit, aut officia hospitalitatis non abnuat, vel etiam appositum cibum sumpsit.*

9. Dicendum igitur, quod diuina essentia, ac diuina attributa, & prædicata ita vniuntur humanitati, vt non tribuant illi omnes suos effectus formales, sed solum illos, quorum humanitas est capax. Ratio est, quia forma, dum vnitur subiecto, non tribuit illi omnes effectus formales suorum attributorum, seu prædicatorum, sed illos tantum, quorum subiectum est capax: ex. gr. anima rationalis habet attributa, seu prædicata spiritalis, & immortalis, & tamen cum vnitur corpori, tribuit illi quidem effectum formalem animati anima spiritali, & immortalis, sed non tribuit corpori effectum formalem spiritalis, immortalis &c. ergo Deitas, & essentia diuina, licet habeat attributa omnipotentis, immensi, æterni &c. tribuit quidem humanitati effectum formalem deificatæ Deitate æternæ, immensæ, omnipotentis, sed non tribuit effectum formalem omnipotentis, immensi, æterni &c. Quænam attributa dent humanitati suos effectus formales primarios, quæ solum secundarios, explicabitur quæstione sequenti 43.

10. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis. Nam ideo substantia Verbi tribuit humanitati effectum formalem subsistenti, quia humanitas est capax talis effectus formalis; sed non est capax recipiendi effectus formales æterni, immensi &c. vt magis explicabitur quæstione sequenti 43. ergo &c.

QVAESTIO XLIII.

Vtrum ex vnione hypostatica resultet communicatio idiomatum, per quam quæ dicuntur de Deo, dicantur de homine, & quæ dicuntur de homine, dicantur de Deo?

1. Videtur non resultare: primo quia ad communicationem idiomatum requiritur, vt possit verè, & propriè dici, *Deus est homo, homo est Deus*: sed non potest verè dici, *Deus est homo, homo est Deus*; ergo &c. Probatur minor: nam hæc propositio, *Deus est homo*, est in materia remota, seu impossibili, sicut hæc, *homo est lapis*: sed propositio in materia impossibili, non potest esse vera: ergo &c.

2. Secundo si ex vnione hypostatica resultaret communicatio idiomatum, cum Filius Dei fuerit hypostaticè vnitus animæ, & sanguini separatis à corpore, potuisset dici,

Deus est anima, Deus est sanguis: & quia sanguis fuit effusus, ac diuisus in partes, potuisset dici, *Deus fuit effusus, ac diuisus in partes*; sed hæc sunt absurda: ergo &c.

3. Respondeo Idioma Græcè idem significare, ac latinè proprietas, seu proprium. Communicatio igitur idiomatum est, quod propria vnius naturæ dicantur de altera propter vnionem in supposito, seu persona. Iam dupliciter potest intelligi, quod vna natura, eiusque idiomata, seu proprietates dicantur de altera. Primus sensus est, quod vna natura in abstracto cum suis proprietatibus dicatur de altera in abstracto. Secundus sensus est, vt vna natura in concreto, & proprietates, seu prædicata, quæ de illa dicuntur in concreto, dicantur de altera in concreto.

4. Eutychni, qui dixerunt per vnionem hypostaticam ex duabus naturis factam fuisse vnã naturam, consequenter dixerunt, potest vnionem dari communicationem idiomatum, per quam natura diuina, & humana, earumque proprietates mutuo prædicentur in abstracto, ita vt verè dicatur, *natura diuina est natura humana, natura diuina passa est, crucifixa est, mortua est, sepulta est*. Contra hunc errorem de fide est, non dari communicationem idiomatum, qua natura diuina, & humana, earumque proprietates possint mutuo prædicari in abstracto.

5. Quæritur, vtrum natura diuina, & humana, earumque proprietates possint mutuo prædicari in concreto, dicendo, *Deus est homo, homo est Deus, Deus est natus, passus, mortuus &c.*

6. Certum est, quod si Deus supponat pro Patre, vel Spiritu Sancto, non potest dici, *Deus est homo, homo est Deus*. Sensus enim esset, *Deus Pater est homo, Deus Spiritus Sanctus est homo*; Pater autem, & Spiritus Sanctus non sunt homo, cum non sint incarnati.

7. Quæritur ergo solum, vtrum si Deus supponat determinatè pro Deo Filio, vel determinatè pro vno trium diuinorum suppositorum, verè, & propriè dici possit, *Deus est homo, homo est Deus*, ita vt sensus sit, *Deus Filius est homo, aliquod suppositum diuinum est homo*.

8. Manichæi, Photiniani, ac Nestoriani dixerunt hæc dici non posse sine aliqua impropriate, vel terminorum, vel prædicationis. Manichæi, & alij, qui dixerunt Filium Dei assumpsisse naturam humanam non veram, sed phantasticam, & apparentem, dixerunt, quod dum dicitur, *Deus est homo*, terminus *Deus* sumitur propriè, terminus *homo* sumitur impropriè, ac non significat hominem verum, sed apparentem, & phantasticum. Consequenter dixerunt, quod dum dicitur *Deus est passus, mortuus*, terminus *passus, mortuus* sumuntur impropriè, & phantasticè.

9. Photiniani, qui dixerunt Christum esse purum hominem, ac dici Deum per patrem

icipationem in eo sensu, in quo psal. 81. de iustis dicitur: *ego dixi Deus es, alseruerunt, quod dum dicitur homo est Deus, terminus homo sumitur proprie, terminus Deus sumitur improprie, non pro Deo verò, & per essentiam, sed pro Deo per participationem.*

10. Nestoriani, qui dixerunt Filium Dei, & filium hominis esse duas personas accidentaliter unitas per gratiam, alseruerunt, quod dum dicitur *Deus est homo*, tum terminus *Deus*, tum terminus *homo* sumitur proprie, sed particula prædicatiua *est* sumitur improprie, ac non significat identitatem suppositi, sed conjunctionem accidentalem, quæ Deus sit in homine per habitationem, gratiam, amicitiam &c. eo pacto, quo improprie dicitur, *Amicus est alter ego*. Contra hos errores dicendum est cum omnibus catholicis: potest verè, & proprie dici proprietate tum terminorum, tum prædicationis, *Deus est homo, homo est Deus*. Ratio est, quia de supposito alicuius naturæ completæ verè, & proprie prædicatur concretum significans illam naturam, eo pacto, quò Petrus, qui est suppositum naturæ humanæ, verè, & proprie dicitur *homo*; sed Deus potest sumi pro *Deo filio*, qui per incarnationem est suppositum naturæ humanæ: ergo de Deo, verè, & proprie prædicari potest *homo*, qui est concretum significans naturam humanam. Similiter homo potest sumi pro quolibet singulari supposito naturæ humanæ, ac proinde etiã pro *Filio Dei*, qui in Christo est suppositum naturæ humanæ; sed de filio Dei, qui est suppositum naturæ diuinæ, potest verè, & proprie prædicari *Deus*; ergo de homine potest verè, & proprie prædicari *Deus*, dicendo, *homo est Deus*. Videri potest Sanctus Thomas 3. par. qu. 16. art. 1. & 2.

11. Confirmatur: nam quia lac est suppositum, ac subiectum, in quo est simul albedo, & dulcedo, non solum potest dici, *lac est album, lac est dulce*, sed etiam potest dici, *album est dulce, dulce est album*: ergo quia *Filius Dei* est suppositum, in quo simul est natura diuina, & humana, non solum potest dici, *Filius Dei est Deus, filius Dei est homo*; sed etiam potest dici, *Deus est homo, homo est Deus*. Ratio est, quia sicut per hanc propositionem, *album est dulce*, significatur subiectum, seu suppositum, albedinis esse simul subiectum, seu suppositum dulcedinis, sic per hanc propositionem, *Deus est homo* significatur suppositum naturæ diuinæ esse simul suppositum naturæ humanæ.

12. Dicendum secundo contra Nestorianos ex doctrina Cyrilli approbata in Concilio Ephesino, can. 4. non solum potest dici, quod homo est Deus, & è conuerso, sed etiam quæ dicuntur de Deo *Filio*, possunt dici de homine Christo, & è conuerso, & sic communicantur idiomata, seu prædicationes, & quæ dicuntur de Deo *filio* communicantur homini, & è conuerso. Probatur,

Tom. III.

& explicatur. Nam eo ipso, quod possit dici, *album est dulce*, quæ dicuntur de albo possunt dici de dulci, & è conuerso, & sicut dicitur, *album segregat visum*, sic potest dici, *dulce segregat visum*, & sicut dicitur *dulce delectat gustum*, sic potest dici *album delectat gustum*: ergo eo ipso, quod dici potest, *Deus est homo*, quæ dicuntur de Deo, possunt dici de homine, & è conuerso, & sicut dicitur, *homo est Filius Virginis, est natus, passus, mortuus, sepultus*, sic potest dici, *Deus est Filius Virginis, est natus, passus, mortuus, sepultus*: & sicut dici potest, *Deus Filius fuit ab æterno, natus est ex Patre ante secula*, sic potest dici *homo fuit ab æterno, natus est ex Patre ante secula*: dici etiam potest, *immortalis est mortuus, impassibilis est passus*, siquidem de Deo, qui est immortalis, & impassibilis, dicitur etiam, quod sit mortuus, & passus. Ratio est, quia quod dicitur de concreto, dicitur etiam de supposito illius concreti; sed in Christo idem est suppositum Dei, & hominis: ergo quod dicitur de Deo, dicitur de homine, & è conuerso. Vltior ratio est, quia hæc propositio, *Deus est passus, mortuus &c.* significat suppositum Deitatis est etiam homo, qui est passus, mortuus &c. hæc propositio, *homo fuit ab æterno, natus est ex Patre ante secula*, significat, suppositum humanitatis fuit ab æterno, natum est Patre ante secula.

13. Quia veræ sunt propositiones affirmatiuæ, quibus dicitur, *Deus est passus, mortuus &c.* falsæ sunt oppositæ negatiuæ, *Deus non est passus, mortuus &c.* Ratio est, quia negatio cum sit malignantis naturæ, negat vniuersaliter Deum passum esse, & mortuum quomodocumque, etiam in natura humana. Potest tamen admitti hæc propositio negatiua, *Deus filius non est mortalis*, quia ex vlti facit sensum restrictiuum, ac significat, Deus filius non est mortalis secundum naturam diuinam.

14. Quæri potest primò, vtrum possit verè dici, *homo in quantum homo est Deus, fuit ab æterno, natus est ante secula, Deus filius in quantum Deus est homo, natus est in tempore, passus, & mortuus est &c.*

15. Respondeo negatiuè. Ratio est, quia reduplicatio cadit supra formam hominis, quæ est natura humana, ac proinde sensus propositionis est: *homo est Deus, & fuit ab æterno secundum naturam humanam*, & sensus alterius propositionis est, *Deus est homo, natus, & passus est in tempore secundum naturam diuinam*, quæ sunt falsæ. Ex eadem ratione falsæ sunt istæ propositiones, *Christus in quantum homo est Deus, in quantum Deus est homo*, quia Christus formaliter importat vtramque naturam. Propositiones igitur istæ, *Homo est Deus: Deus est homo*, sunt veræ materialiter, ac specificatiuè, non autem formaliter, & reduplicatiuè. Videri potest Sanctus Thomas quæst. 16. art. 10. & 11.

16. Quæri potest secundo, vtrum sint

N

con-

concedendæ istæ propositiones, *Christus est creatura; Christus incepit esse; Filius Dei est creatura; Filius Dei incepit esse.*

17. Respondeo, quod simpliciter, & sine addito non sunt concedendæ, sed solum concedendæ sunt cum limitatione, dicendos: *Christus, seu Filius Dei secundum naturam humanam est creatura, incepit esse.* Ratio est, quia propositiones, quæ ex usu hæreticorum determinatæ sunt ad sensum hæreticum, non sunt simpliciter admittendæ, ne videamur fauere eorum hæresi; sed propositiones allatæ ex usu Arrianorum determinatæ sunt ad significandum, quod Christus est creatura, & incepit esse, non solum secundum naturam humanam, sed etiam secundum ipsum suppositum Filij Dei; ergo &c. Ex proportionali ratione, quia propositio hæc, *Christus est ubique* ex usu Vbiquetariorum determinata est ad significandum, quod Christus est ubique etiam secundum corpus, & secundum naturam humanam, non est simpliciter admittenda, sed addenda est limitatio, ac dicendum, *Christus est ubique secundum naturam diuinam.* Videri potest S. Thomas q. 6. art. 8. & 9.

18. Ad 1. Propositio hæc, *Homo est lapis*, ideò est in materia remota, seu impossibili, quia homo, & lapis non possunt vniri in eodem supposito; sed natura diuina, & humana possunt vniri, ac de facto vniuntur in eodem supposito; ergo propositio hæc, *Deus est homo* non est in materia remota, seu impossibili. Addit Sanctus Thomas quest. 16. artic. 1. ad primum, quod non est in materia contingenti, sed naturali. Vt saluetur hæc doctrina, supponendum, quod dupliciter propositio dicitur esse in materia contingenti. Primum cum prædicatum non necessariò conuenit subiecto: in hoc sensu propositio allata procul dubio est in materia contingenti. Deus enim Filius non necessariò est homo, cum potuerit non esse homo. Secundo propositio dicitur esse in materia contingenti, cum prædicatum est vnum, non per se, sed solum per accidens cum subiecto. In hoc sensu propositio allata non est in materia contingenti, sed naturali, quia Deus Filius est vnum per se cum homine substantialiter, & naturaliter, cum substantialiter habeat sibi vnitam naturam humanam. Sanctus Thomas loquitur in hoc secundo sensu.

19. Ad 2. Nego, quod in triduo mortis potuisset dici, *Deus filius est anima, est sanguis*: Ratio est, quia sola nomina concreta significantia naturas completas possunt prædicari de supposito talium naturarum; nomina autem significantia naturas partiales, non prædicantur de suppositis. Ideò dicitur, quidem, *Petrus est homo*, at non dicitur, *Petrus est anima, est sanguis* &c. ergo non est mirum, quod dicatur, *Filius Dei est homo*; at in triduo non diceretur, *Filius Dei est anima, est sanguis*, licet esset hypostaticè vnitus animæ, sanguini, & corpori separatis ab anima.

TRACTATUS V.

De sanctitate humanitatis Christi, eiusque impeccabilitate coniuncta cum libertate ad obseruantiam præceptorum, & ad moriendum.

QVÆSTIO XLIV.

Vtrum humanitas Christi non solum sit sancta per gratiam habitualement creatam, sed etiam sit formaliter infinitè sancta per sanctitatem increatam Verbi diuini?

1. **V**idetur non esse formaliter sancta humanitas Christi esse sancta formaliter increata: primò, quia si humanitas Christi esset sancta formaliter increata, frustra in Christo daretur sanctitas creata gratiæ habitualis.

2. Secundo si esset formaliter sancta per sanctitatem increatam, deberet etiam esse formaliter beata per beatitudinem increatam; alioquin esset infinitè minus beata, quam sancta.

3. Tertio si per sanctitatem increatam esset sancta, per omnipotentiam deberet esse omnipotens, per aternitatem aterna, per immensitatem immensa. Non enim est ratio, cur vnum attributum tribuat potius humanitati suum effectum formalem primarium, quam aliud attributum.

4. Quarto effectus formalis vnus forma non potest præstari ab alia forma; sed effectus formalis sancti præstaretur à gratia, quæ est forma accidentalis; ergo non potest præstari à natura diuina, quæ est forma substantialis.

5. Quinto conceptus formalis sancti est conceptus Deo amabilis, & potentis Deum redamare; sed humanitas Christi, licet per sanctitatem increatam constituatur Deo amabilis, non constituitur potens Deum redamare; ergo &c.

6. Sexto sequeretur humanitatem Christi esse sanctam duplici sanctitate, increata nimirum Verbi diuini, & creata gratiæ.

7. Respondeo cum Suario disp. 18. sect. 1. Vasquez disput. 4. capite 3. quos sequuntur communiter omnes societatis auctores contra aliquos antiquos, humanitatem Christi sanctificari formaliter per sanctitatem increatam Verbi diuini.

8. Probatur primo ex Patribus, & præsertim ex Nazianzeno, qui Oratione 36. quæ est quarta de Theologia, dicit: *Christus verò dicitur propter diuinitatem; ea enim humanitatis vnctio est, non operatione, ut in alijs Christianis sanctificans, sed totius unguenti præsen-*
tia